

1719.

1. Opimus, Sigismundus Tschirn : De ingeniorum ardorem
pervicere in locando.

Servius in servitale

2. Reinhard, Georgius Ritter : ~~De et quatuor ciens~~
Huc respondet legis XV. fall. 8. q. De amplexu et copulae
~~et~~ et Giordi Romanus explicata.

3. Reinhard, Georgius Ritter : ~~De et quatuor ciens~~
at armis pro re publica capienda regi possint?
et H. naturae illustrata


4¹⁻² Eckebrück, Hieronymus : De potestate superiorum
in mutuariis ultimis volum latibus

5. Teurtilius, Lazarus W. Schlesius : Consolatus ethico-
philosophico, ius natural Socratis Delincens.

6¹⁻² Hessebrück, Peter Koenig : De problema per
hennala genealogica. 2 Sculp. 1729 - 1750

7. Hessebrück, Koenig : De feuis cypoceri von
Academia Lipsi - Leibn.

8. Hugier, Iohanna Tabies : De irrevocabilitate obiectis
post resolutionem ius concedentis
9. Pellerus, Christopherus Gorperi : De interpretatione
legum politica.
10. Persobodus, Petrusius W. Gellius : De iure nullius
Transfusionali secundum statutum patrum
11. Ryher, Christopherus Riederer : De processu
filiorum et filiarum . Nam Vetus der Sohne
und Töchter 2. Saat.
12. Schwarzen, Christianus Gellius : De pris fructibus
13. Schwarzen, Christianus Gellius . Nachriva ealogia
sive capita quaedam .
- 14 a, b c. Truffel, Christopherus Gellius : De juri obiecto
line communis sive res universitatis .
3 Scapl .



DISSE^{1710.46}TATIO IVRIDICA IN AVGVRALIS
DE
POTESTATE SVPERIORVM
IN MVTANDIS
VLTIMIS VOLVNTATIBVS.

16.
5

GERMANICE:

Von der Macht eines Fürsten, seiner Vorfahren, auch Unter-
thanen, verfertigten letzten Willen ändern zu können.

QVAM
IN INCLVTA VNIVERSITATE ALTORFINA
D. XXIII. APRIL. ANNO MDCCXIX.
PRO LICENTIA
EXPOSUIT
HIERONYMVS ECKEBRECHT,
NORIMBERGENSIS.



IENAE,
REC. LITTERIS IO. BERNH. HELLERI,
A. O. R. MDCCXL.

DISSERTATIO ARIDICA LIVAGARIAE
POTES TATI SAPERIORUM
MUTANDIS
ALTIMIS VOI ANTITIPAS

CARMEN
IN INCLIVATATE ALLEGORIA
AD XXX APRILIS ANNO MDCXIX
PROLICEMIA
HIERONIMUS CORNELLII
MOKRUS

33

BRUNA
LIBRARIÆ
ALBERTI MECHELEN



PROOEMIVM.

Quanta sit tractationum de *Ultimis Voluntatibus* necessitas, & inde resultans utilitas, quotidiana factorum controversiarumque de illis ortarum frequentia satis testatur. Vix enim ac ne vix quidem ullum profertur ultimæ cūjusdam defuncti voluntatis elogium, etiam à peritissimis JCtis adhibita omni circumspectione conscriptum, quod non suos patiatur manes, & innumeris sit subjectum contradictiōnibus. Stryck. de Cautel. testam. cap. I. §. 1. & 2. Plerumque enim contingit, ut defunctū judicium

A 2

vel

vel ratione sui ipsius, vel institutionis heredis, vel
 solennitatis omisæ, vel ordinis & verborum am-
 biguitate subvertatur. Rolandin. *in Proœm. Flor.*
ult. Volunt. Ecquis omnes potest enumerare
 causas, ob quas de ultimis defunctorum dispo-
 sitionibus lites moyentur? Hinc etiam factum,
 ut nonnulli Doctorum celeberrimorum nostri
 ævi publice Principibus svaserint, testamenta ut
 penitus prohibeant. Stryck. *in Caut. test. c. I. §. 3.*
 & seqq. & statuerint, testamentorum faciendo-
 rum libertatem Reipublicæ valde esse noxiā;
 Illuſtr. Thomas. *in Diff. de Origin. success. test.*
 §. 59. & not. ad h. §. Lit. f. conf. §. 39. diff. c. Ast
 approbata à plerisque Rebuspublicis facultate te-
 standi, quotidianus hujus materiæ usus accuratio-
 rem & indefessam requirit applicationem: quo-
 tidiana enim plenius sunt attingenda, L. 25. ff. de
 libert. leg. & pernecessaria. L. 1. pr. ff. de susp. tut.
 Hæc vero applicatio magnos nobis promittit in
 foro fructus; vid. Stryck. c. I. in pref. & sua se
 commendat utilitate, ita, ut non opus esse arbi-
 trer, de utilitate materiarum de ultimis Volunta-
 tibus plura differere; sed liceat mihi tractationi-
 bus ultimarum voluntatum applicare, L. 1. ff. de
 restit. *in integr. conf. Mantica in Proœm. de Conj.*
 ult.

83 13 83

ult. volunt. Hisce rationibus adductus, materiam quandam ultimorum voluntatum in conscribenda bono cum Deo dissertatione inaugrali mea proponendam, operæ precium esse duxi. Sistens itaque tibi, *Lector Benevole*, paginæ sequentes Schediasma quoddam de *Potestate Superiorum in mutandis ultimis Voluntatibus*. Invenies in Cap. I. Generaliora quædam de libertate voluntatis, de facultate testandi, & potestate Superiorum limitata in mutandis testamentis aliorum. Caput II. tibi demonstrabit causas, ob quas potissimum Superior contra voluntatem testatorum voluntates ultimas possit mutare, & ibi reperies specialiora harum causarum fundamenta & conclusiones. Optarem, ut ad hanc dissertationem elaborandam mihi tanta experientia tanta studia, tantum temporis spacium, tantæque valetudinis vires suppeterent, quantas dignitas materiae requirit; non esset, ut abs Te, *Benevole Lector*, enixe peterem, velis ea, quæ inconsiderantius scripsi, omisi, vel addidi, æqui bonique consulere, corrigere, supplere, delere.

A 3

CAPVT



C A P V T I.

§. I.



D ipsam nunc, auxiliante Deo, tractationem accedens, pauca quādām in hoc §. de hominis voluntate ejusque facultatibus p̄mittenda censui. Est autem Voluntas, ut Aristotelis in Lib. 1. Rhetor. 10. definitione utar, appetitio boni cum ratione conjuncta; vel facultas mentis nostræ, qua bonum appetimus, malum aversamur: quæ in actionibus humanis agit & sponte, Pufend. de Jur. Nat. L. 1. c. 4. §. I. & libere, L. 4. ff. de stat. homin. arg. L. 21. C. Mandat. ita, ut homo, positis requisitis, nec vi aut jure prohibitus, leg. cit. 4. possit circa objectum unicūm velle vel nolle; pluribus vero objectis præsentibus, unum, quod ipsi liber, eligere; quarum libertatum illam Philosophi dixerunt Libertatem contradictionis, hanc Contrarietatis. Pufend. l. 2. §. 2. Hinc etiam voluntas moderatrix actionum humanarum audit. Pufend. l. 2. §. 1. ista enim distinguit actus, propositum & maleficia. L. 5. C. ad Leg. Corn. de siccari. L. 20. C. ad Leg. Jul. de adult. arg. L. 39. ff. de furt. Mantic. de Conj. ult. Volunt. L. I. t. 3. n. 5. sqq. can. 1. caus. 15. quæst. I. Unde Baldus, tolle, inquit, voluntatem ex medio, omnis actus est indifferens. in Leg. alleg. 20. C. ad L. Jul. de adult. Ex qua vero libertate fluit, quod inconstans voluntatis nihil sic constantius; & de ea possit exclamari: Varium & mutabile semper Voluntas! Est enim mutabilis & ambulatoria usque

usque ad vitæ supremum exitum. L. 32. §. 2. ff. de donat.
inter Vir. & Ux. L. 4. ff. de adm. vel transf. leg. Stryck.
in Cantel. test. c. 24. Baitell. in decis. Vlt. Vol. decis. 77. n. 39.
hoc enim demum interveniente, homo velle desinit, &
sua extinguitur voluntas. L. 4. ff. locat. arg. L. 9. ff. qui
sine manu. Rolandin. in Proœm. Flor. ult. volunt. & P. I.
rubr. III. n. 3.

§. II. Hæc jam prædicata voluntatis humanæ am-
bulatoria libertas quam maxime sese exerit in declaran-
dis mentis testationibus ; quippe quaæ adeo illimitata &
suprema est, ut nemo sibi legem dicere valeat, à qua po-
stea ipsi pro lubitu recedere non liceat : nihil enim magis
hominibus debetur, quam ut supremæ voluntatis, post-
quam jam aliud velle non possunt, liber sit stylus, & li-
citem, quod iterum non redit, arbitrium. L. 1. C. de SS.
Eccles. L. 22. ff. de leg. 3. L. 19. C. de testam. L. 87. ff. de cond.
& demonstr. Brunemann. & Perez. ad Leg. cit. 1. C. de
SS. Eccles. Rolandin. c. 1. rubr. 1. n. 3. Gratian. discept. for.
tom. 5. c. 908. Reformatio Norica tit. 39. l. 12. Arbitrium
itaque testantis tanta gaudet libertate, ut testator illud
pro lubitu & mutare, & revocare, & cancellare queat :
voluntas quippe ultima nullo modo irrevocabilis haberi
potest, nec illa dicenda esset ultima voluntas, nisi ma-
neret revocabilis. Bartol. in Leg. 22. ff. de leg. 3. Mantil.
de conject. ult. volunt. L. 1. t. 4. §. 7. & autores ibi citati.
Quam revocandi & mutandi facultatem nemo sibi ipsi-
met efficaciter admire potest, ut ut se juramento testa-
tor adstringat, se nunquam testamentum suum mutatu-
rum vel revocaturum esse : quam sententiam fere omnes
legum Civilium interpres pro aris & focis tenent at-
que defendunt. Glossa in cap. ult. caus. 13. qu. 3. Alexand.
113

in Leg. stipulatio hoc modo, 61. n. 5. ff. de verb. oblig. Bald. L. 2. cons. 338. Vasquius de success. p. III. quæ inscripta est de success. resol. L. 1. §. 1. n. 1. Adeo ut hujusmodi testator testamentum juramento confirmatum revocans non committat perjurium, nec incurrat in ejus pœnam. arg. L. 26. de jurejurand. L. 2. C. de reb. cred. Vasquius l. c. n. 3. Juramentum enim regulatur secundum naturam rei, cui adjicitur. L. ult. C. de non num. pec. L. 11. ff. §. 2. de jurejur. c. 25. x. de jurejur. Mantic. de tac. & amb. convent. L. 4. tit. 32. n. 89. Stryck. de caut. ult. vol. c. 24. §. 4. & autores ibi citati. Lauterbach. de mort. caus. donat. tb. 42. Tabor. f. 381. ax. 37. Natura autem ultimarum voluntatum est, esse revocabiles & mutabiles, per ea, quæ in principio hujus §. tradidimus. Peccat tamen hujusmodi testator sine prægnanti causa suum testamentum revocando, & in conscientia perjurium committit. Joh. Dil. Dur. tr. de art. test. caut. 12. n. 7. Ac si SS. Canonum præcepta & regulas Juris Canonici Interpretum sequi amamus, statuendum, juramentum de non mutanda ultima voluntate servandum esse; quippe quod absque dispendio salutis aeternæ servari potest. cap. 2. de pact. in 6to cap. 28. x. de jurejur. Alciat. in c. cum conting. n. 77. Soci. in L. stipul. hoc modo 61. ff. de V. O. n. 50. Brunnen. ad L. 12. C. de pact. Hartm. Pistor. p. 4. qu. 2. n. 26. Stryck. c. l. cap. 24. §. 24. & autores ibi de utraque opinione citati. Ast cum per Juris Canon. Doctorum sententiam libertas standi nimium constringatur, si simpliciter defendere vellimus, testamentum jurejurando de non mutanda amplius voluntate confirmatum, immutari non posse; & econtrario, si testatoribus secundum Juris Civi. peritorum opinionem pro lubitu juratum mentis sua ultimum elogium

elogium mutare liberum esse statuamus ; libertas testamenti nimirum extendatur : utrorumque Doctorum opinionem aliqualem limitationem pati arbitror ; de qua limitatione , hujusque rationibus haud incongrue Vasquium in tract. de success. & quidem in Part. III. de successionum resolutione L. i. §. i. n.3. & 4. opinatum fuisse reor ; quare ejus verba afferre licebit : *Siquis* , inquit , *testamentum fecit* , *juravitque id non mutare* , *siquidem ne vera* , *vel nullanova causa* & *justa testamenti mutandi orta est* , *vel cum retro jam fuisse* , *denuo detecta non est* , *non video* , *quonam modo testamentum mutare queat* , *quin perjurus fiat* . *Quod si vero orta est nova causa* , *vel cum antea esset occulta* , *tamen denuo detecta est* , *equissimum est* , *testatorem posse testamentum mutare* , *nec per hoc perjurum videri* . *Quid enim* , *si heres testatoris uxorem compreserat* ? *quid si ejus vita insidiabatur* ? *vel aliter inter eos culpa ipsius heredis exorta fuerunt inimicis capitales* ? *certe in omnibus his speciebus & similibus inhumanum ac incivile est* , *testatorem compelli in eadem voluntate perseverare* , *illumque indignum & immiteritum lucro & non potius malo* (*quod tamen meum non facio* , *omnis enim moriens condonasse præterita videtur*) *affici* . *Quid ergo* , *si ea causa* , *que denuo vel detecta* , *vel nata fuit* , *non erat satis justa* , *aut efficax* ; *sed tamen ipsi testatori satis justa ac efficax visa fuit* , *ac ideo testamentum mutavit* ? & *quidem nec tunc perjurus videbitur* . *Nam id non quidem tam ex communi hominum voluntate aut judicio* , *quam ex propria cuiuscunque testatoris opinione judicandum est*. arg. L. quia poterat. 4. ff. ad SCt. Trebell. elegans text. in L. qua sub condit. 8. in pr. ff. de condit. instit. Cum enim juramentum illud sit interpretandum , ut cesseat , quando justa causa denuo vel orta vel detecta est. arg. text. nor. in l. fin. C. de non numer. pec.

B

c. cum

e. cum M. Farrariens. de const. & que plenissime tradit. Andre. Tiraquell. de causa ces. par. I. quasi tunc consensus jurantis deficiat, ut d. L. fin. d. c. Cum M. superest, ut transgressio juramenti postea securta, non tam sensui & menti jurantis, quam verbis duntaxat pugnare videatur, id quod in consideratione non est, sicque perjurium non sit. Ergo cum iusta causa sit ea, que ipsi testatori iusta visa fuit; superest, ut de tali juramento vel perjurio in foro contentioso aliquis queri non possit. L. 2. C. de reb. Cred. Quod si conscientia quoad Deum egerimus, inculpatus erit, siquidem causa vel iusta erat, vel testatori iusta visa fuit; quod si nec iusta erat nec iusta avidebatur, tunc perjurus erit, & secundum has distinctiones superiores varietates conciliari possunt & debent. Quam limitationem, ob gravem scilicet causam testamentum juratum mutari posse, etiam admittunt Joh. Dauth. de test. n. 89. sgg. Covarruv. de testam. p. 2. num. 9. Ant. Faber in Cod. Sabaud. L. 6. tit. 5. def. 12. Quos & plures allegat Stryck. caut. test. cap. 24. §. 24. in fin. Et sic juramentum hujusmodi adiectum nihil operatur, nisi quod vim habeat clausula codicillaris L. 77. §. 23. ff. de leg. 2. Mantic. de conject. ult. vol. L. 1. tit. 9. n. 12. sgg. & autores ibi allegat. Sicuti vero nec juramento de intemerata ultima sua voluntate conservanda, libertas testandi & testamentum mutandi restringi, ita nec ista pactis auferri potest; omnia enim pacta de futura successione sive tertio non consentiente, sive mutua, sunt illicita & reprobata. L. ult. ff. de suis & legit. hered. L. 15. & ult. C. de pact. L. 52. §. 9. pro soc. L. 4. C. de inutile. stipul. L. 70. ff. de hered. instit. Zasius ad L. pact. C. de pact. Joh. Dil. Durans tr. de art. test. caut. 10. n. 2. quia libertatem testandi constringunt, & contra bonos mores sunt; L. 61. de V. O. L. 4. C. de inutile. stipul. L. 54. C. de transact.

act. continent enim votum captandæ mortis, ac tristissimi
& perieulosissimi sunt exitus. L. ult. C. de pact. Exceptio
tamen est in Commilitonibus, quorum sc. pacta de futura
valent successione mutua, L. 19. C. de pact. L. 4. C. de inut.
stipul. Cujac. 16. obs. 39. & in pactis, quod vocant, confrat-
ternitatis, quippe quæ ad conservationem familiarum,
præsertim illustrium, rite inita, valida censentur: de qui-
bus pactis confer. Stryck. C. l. C. 5. memb. 3. §. 6. seqq. Tira-
quell. ad L. si unquam. n. 10. § 11. C. de Revocat. donat. Myn-
sing. L. 2. obs. 33. Ritter. in diff. que extat ap. Arumæum, V.
I. J. P. D. 22. Syfart in Nucleo discurs. I. P. p. 722. Gotho-
fred. in not. ad L. 5. C. de pact. convent. lit. n. ubi & plu-
res exceptiones adfert, & in not. ad L. 19. C. de pact. et-
iam in pactis dotalibus, si in vim contractus sint conce-
pta; Struv. synt. J. Crv. Exerc. 30. ib. 17. Et Pet. Müller.
in notis lit. n. Richter. Vol. 2. conf. 155. Berlich. P. II. con.
51. Stryck. c. l. c. 24. §. 29. & autores ibi citati. Carpz. 2.
c. 43. d. 5. 6. Kohl. de pactis dotal. p. 2. n. 1. seqq. si vero
pacta dotalia inter conjuges in vim ultimarum voluntati-
um celebrata existunt, iis non potest secundum Jus
Commune libertas testandi restringi vel auferri; possunt
enim hujusmodi pacta una parte etiam invita mutari &
revocari, L. 5. C. de pact. conv. Stryck. c. l. c. 24. §. 28. &
autores citati. Peck. de success. conj. L. 1. cap. 7. §. 1. § 7.
Sic quoque testamenta reciproca mutationi sunt obno-
xia. Stryck. l. c. §. 21. nec officit libertati mutandi, si plu-
res in una charta sua declaraverint mentis ultimæ decre-
ta, quin unus illorum altero invito queat suam immutare
dispositionem. Stryck. c. l. §. 20. Ut nec aliquis hac fa-
cilitate pro lobitu mutandi sua ultima judicia privatur,
qui principem heredem instituit; L. 6. C. qui tñf. fac.

poss. arg. L. 19. C. de test. Utitur enim hoc in casu princeps jure quasi privatorum. *L. 7. C. qui test. fac. poss. L. 3. C. de testam. arg. L. C. ad Leg. Falcid.*

§. III. Quamdiu itaque homo vita; tamdiu quoque libera sua revocandi & mutandi animi decreta facultate gaudet; facultate vero hac, privatione, morte scilicet privatur, & eam quoddam non ens extinguit: post mortem enim velle desinimus, & non amplius liberum reddit arbitrium. *L. 1. C. de SS. Eccles. L. 4. locat. L. 9. ff. quis sine manumiss. Rolandin. Flor. ult. vol. proœm. & P. 1. rubr. 3. n. 3.* Idecirco si quis suam voluntatem jure fecit, rite quoque sive scriptis sive oretenus ultimo declaravit, & insuper eam morte superveniente sua confirmavit; ultima voluntas enim vires suas post mortem demum accipit; *Epist. ad Hebr. c. IX. v. 16. 17. L. 49. §. 1. ff. de hered. insit. L. 2. §. 4. ff. test. quemad. aper. Bailell. de ult. vol. Dec. 69. num. 7. tunc fit immutabilis pro lege servanda & ad ungvem adimplenda; can. 4. cauf. 13. qu. 2. L. 16. C. de SS. Eccles. L. 27. pr. ff. de Condit. & Demonstr. L. 24. & 28. C. de Episc. & Cler. Gomez. Comment. var. resol. Jur. Civ. t. 1. c. 2. §. 1. Roland. c. 1. proœm. L. 28. §. 2. C. de Episc. & Cler. ibid. Gloss. 8. Bailell. Dec. XII. n. 79. Barz. decif. 6. n. 30. & tuenda, ne pereat; §. fin. Insit. de fideic. hered. L. 1. ff. si quis omis. cauf. c. 15. x. de test. nec potest omitti citra conscientiam; L. 5. C. de relig. & fun. L. 30. C. de inoff. test. L. 22. C. de leg. Nov. 1. c. 1. wid. Oldendorp. intr. de Execut. ult. vol. tit. 2. n. 3. 4. & 13. Hinc proveniunt axiomata Doctorum: voluntatem scilicet in ultimis voluntatibus dominari, facere totum, uti reginam haberi. L. 23. in fin. C. de legat. L. 19. ff. de cond. & demonstr. L. 3. §. condit. de adim. leg. L. ex facto ff. de hered. insit. Barth. adb. L. Romulejus intr. de test. precept. bona extr.*

extr. famil. alien. probib. §. 56. Baitell. *Dec. 88. n. 43. dec. 99.*
n. 22. Mantic. *Conject. ult. vol. L. 6. tit. 6. n. 19.* Inde etiam
 Baldus olim nos dicebat, debere se etari voluntates testa-
 torum, sicuti canes leporem. *in Leg. fin. C. de impub. & al.*
subst. conf. idem. Bald. *in L. quoniam indig. C. de test.*

§. IV. Ut vero post mortem hujusmodi ultima
 voluntas immutabilis valeat, sedulo testatori cavendum,
 ne contra leges in ultimo suo declarando elogio impin-
 gat, sed jure illud faciat & declaret, h. e. ut secundum jura
 loci & statutaria testetur, vel alio modo valido, licito su-
 am declaret voluntatem; est enim ultima voluntas legi-
 tima dispositio de eo quod quis post mortem suam fieri
 velit. *conf. L. 1. ff. de test.* Mantic. *L. 1. tit. 4. n. 11.* qui in
 praecedentibus numeris de definitionibus ultimarum Vo-
 luntatum plura adserit, ita ut nec ratione ipsius testatoris
 & testandi potestatis, vel ratione institutionis, vel solen-
 nitatis omissa, vel ratione ordinis & verborum ambigui-
 tate, ejus possit inverti ultimum judicium. Roland. *in pro-
 œm. c. 1.* neve illud fiat vel nullum, vel rumpatur, *t. t. de*
injust. rupt. & irrit. test. Lauterbach. *ad b. t. & Comment.*
t. t. de inoff. test. & in Compend. ubi plures citat autores.
 Quod quomodo cautus testator evitare debeat & possit,
 nos præclara. JCtorum de orbe literario maxime merito-
 rum volumina edocent, uti Joh. Dilect. Durans *in tr. de*
art. testand. & B. Sam. Stryck. *Cautel. testam.*

§. V. Ultimæ hominum voluntates jure sic factæ,
 & in republica quadam testamentifactionem nos prohi-
 bente, rite declaratae, à nemine superiorum sine magna
 & urgente causa ullo modo, neque per rescriptum, aut
 alios actus similes, post mortem testantis, possunt tolli,
 aut immutari; sed eorum alias illimitata & suprema po-
 testas

testas hoc in casu limitatur, per L. 10. C. de testam. Brunnen. & Doctores ad b. l. L. 5. ff. testam. quem. aper. arg. L. 7. C. de prec. Imp. & arg. L. si donationem C. de revoc. donat. & doctores ad L. ult. C. si contra jus vel. util. publ. Romulejus in tr. de testat. precept. n. 227. n. 235. sq. n. 241. in fin. Dec. in Consil. 357. n. 5. in fin. Consil. 357. n. 4. 5. Mantic. de Conject. ult. vol. L. XI. tit. 12. n. 32. autoresque ibi citati. Mevius ad jus Lubec. P. 2. tit. 1. n. 13. Covarruza L. 3. resol. c. 6. n. 7. Vasquius de success. tit. 1. L. 1. §. 1. n. 10. & autores largiter ibi citati. Julius Clarus Alex. de testam. qu. 2. Siquidem Magistratus defuncti voluntatem sequi tenetur, nec ullus judex contra voluntatem testatoris pronunciare potest. L. 5. C. de relig. & sumt. fun. L. 22. C. de leg. c. 4. c. 13. qu. 2. L. 27. ff. de Condit. & demonstr. & ea, quæ supra §. 3. tradidimus. Et ut exemplo quodam ex ipsis juris apicibus sumto rem declarem: sic magistratus oportet tutorem in testamento minus solenniter datum ex juris necessitate confirmare, nec alium substituere potest, L. 1. §. 1. ff. de confir. tut. ibique Gothofr. in not. lit. u. Hoppius Comment. ad §. 5. Inf. de tutel. & Papinianus in l. 26. §. 2. utitur verbo oportet; Eundem, inquiens, à Prætore confirmari oportet: quod vocabulum necessitatem quandam imponit. vid. Hopp. c. 1. Jason ad l. admonend. ff. de jurejur. n. 21.

§. VI. Genuinam hujus sententia: superiores sci-
licet de potestate ordinaria ultimas subditorum volunta-
tes mutare vel tollere non posse, rationem esse arbitrari,
quod jus nimisrum, per concessam facultatem testandi,
subjectis & civibus quæstum ipsis in ipsis afferri non pot-
est, L. 4. C. de emancip. liber. & Ddres. l. fin. ff. de pact.
arg. l. 11. de R. I. Tabor. fol. 387. ax. 9. confer l. 15. Item se
verbe-

verberatum. ff. de Rei vind. ibique Barth. l. 13. §. 1. ff. Com-
mun. Prad. in verbis nec publico nec private nomine. Petri
Anton. de Petra. tr. de jure quæsto per principem non tollendo.
per tot. Sive hoc jus ad ipsos Jure Naturæ & Gentium,
vel jure positivo & Civili pertineat; Vasquius T. 1. l. 1.
§. 1. n. 10. & n. 29. sq. Nam non opus esse opinor,
ad nostram defendendam thesin statuere, facultatem te-
standi & testamentis factioinem esse juris Naturæ vel Gen-
tium, de qua controversia olim & nunc agitata, & forte
in secula agitanda, plura disquirere nec proposit ratio,
nec paginarum spacium permittit: quare benevolum
lectorem ad Vasquium L. 1. §. 1. n. 1. 4. 6. & sqq. ubi ve-
terum J. Ctorum disceptationes refert. Stryck. de Cautel.
teß. L. 1. §. 9. Illusfr. Thomas. in Diff. de Orig. success. test.
§. 8. sqq. remitto; nam licet concedamus, testandi fa-
cilitatem esse juris positivi & testamenta eorumque effe-
ctus jus Civile introduxisse, supra quod jus & legem
Princeps & superior est; quippe qui amplissimam & il-
limitatam habet potestatem leges ferendi, abolendi &
mutandi: est enim ipsa lex & legibus solutus dicitur;
L. 31. ff. de leg. c. 4. de concess. præbend. & comment. §. 6. I.
de I. N. G. & C. Andr. Scepius in tr. de quest. an Princeps
legibus sit solutus, passim; Pufend. d. I. N. c. 6. L.
VII. §. 3. arg. Nov. 23. c. 2. Fritsch. in Exerc. Jur. Publ.
Part. 3. c. 3. §. 7. hoc tamen intelligendum est, ut legi-
bus lati & superior vivere debeat; per textus famulos
in §. fin. I. quib. mod. L. 23. de Leg. 3. L. 4. C. de LL. ibique
Gothofred. Hopp. ad §. 6. Inst. de I. N. G. & C.

Nam nihil, ut verum fatear, magis esse decorum

Aut regale puto, quam legis jure solutum

Sponde tamen legi sese supponere Regem.

Bernegg.

Bernegg. ad Tacit. quest. 35. Conf. L. 68. C. Theodos. de appell.
 Legibus enim latis potestas & licentia de rebus suis post mortem disponendi est concessa ; concessa vero auferre, non proprium est imperialis majestatis, *Nov. io. §. 1.* & quæ ab initio hujus §. attulimus : auferret autem concessa, si superior ultimam voluntatem à legibus facere concessam, & secundum leges præceptas factam, sine prægnanti causa tolleret & mutaret. Quid? quod superior nec jus positivum aliter, quam per modum legis noviter ferendæ, quæ cives universos comprehendat, *c. 2. dist. 4.* *Nov. 113. in fin.* cum interea legibus latis vivendum, tollere vel mutare potest ; nisi ex magna & urgente causa plenitudine sua potestatis uti velit. *L. ult. C. si contra jus l. util. & Doctores ad b. L. & Canon. ad c. que in eccles. X. de constit. & quod lege permittente sit, juste, bene, & tuto fieri dicitur. L. 17. §. 12. ff. de edilit. edit. c. II. c. 14. qu. 4.* Tabor. fol. 405.
ax. 33. Idcirco parum resert, num facultas testandi dicatur à jure naturæ vel civili concessa ad hoc, ut possint facta secundum hanc concessionem à superiore tolli, vel mutari. *conf. omn. Vasquius L. c. n. 10. & 13.*

C A P V T II.

§. I.

GENERALIORIBVS haec tenus in cap. I. præmissis, & demonstrata ultimarum voluntatum validitate, quam tantam esse in §. statuimus, ut nec à superiore, si scilicet omnibus modis perfectæ, & jure factæ sunt, tolli vel immutari possint ; nunc ad specialiora lavente Numinæ accedentes, de hac quæstione solliciti erimus : num scilicet

scilicet superior ultimas subditorum vel civium voluntates jure factas, & ex omni parte perfectas, contra testatorum expressam voluntatem, vel in totum, vel pro parte, nonnunquam mutare queat? Ex qua questione patet, nos in his §. §. sequentibus non de qualibet mutatione ultimarum voluntatum esse tractaturos. Nec enim animus est, de illis mutationum generibus, quæ ab ipso testatore sponte proveniunt, nec de illis modis mutandi testamenta, quæ ex defectu solennitatum, vel heredis institutionis, vel præteritionis, vel agnationis sui heredis, vel mutatione status testatoris, vel ex legis prohibitio-
ne &c. descendunt, dicere; de quibus videri possunt Vasquius de success. Tom. III, de success. resolut. Stryck. de Caut. test. c. 24. quod agit de mutatione ultimarum voluntatum §. 6. sqq. Barry de success. test. Tom. I. tit. I. Lauterb. diff. de revocat. Et cancell. test. Barth. Romulejus Tr. ad L. filius fam. II4. §. Divi. ff. de leg. vide omnino L. 55. ff. de leg. I. Et Doctores ad b. l. sed de illa disquisituri erimus mutatione, quæ venit à potestate superioris ex magna & urgenti causa contra mentem & expressum voluntatis tenorem defuncti, juste & rite testati, facta; cuius exempla extant in L. II3. §. 5. de Leg. I. Leg. fin. ff. de aur. Et arg. leg. L. 14. de religios. Et sumt. funer. L. 16. de usu Et usuf. L. 10. ff. de confirm. tut. de quibus infra pluribus. Et superiorem vel alium judicem testamentarjæ cause cognitionem habentem testamento, vel alias quascunque ultimas voluntates, non quidem pro lubitu, de jure, sed si causa quædam prægnans immutationem suadeat, circa injuriam, vel in totum, vel pro parte, mutare, & contra eas pronunciare posse, nemo dubitabit; L. ult. C. si quis contr. jus vel util. ibique Ddres. Et Canon. ad cap. quæ in Eccles. X. de constitut.

constitut. Paris consil. I. n. 50. L. 2. Decius conf. 557. num. 4.
 Alexand. conf. 2. n. 8. L. 2. Romulejus de testat. praecept. n.
 227. & 235. sgg. nam superioribus in rebus publicis pote-
 statem in subjectos concessam, omnia, quæ ad Rempu-
 blicam conservandam directe sive indirecte faciunt, fa-
 ciendi, & judici, cui eujusdam causæ cognitio competit,
 omnia, quæ ad causæ cognitionem & dijudicationem spe-
 cant, competere, probati est juris. Sic etiam superio-
 res, usus publici bonique communis causa, ex necessitate
 urgente, subiectorum jura quasita aut res minuere vel
 auferre possunt. L. II. C. de oper. pub. vid. L. 15. §. 2. ff. de R.
 V. junct. L. II. ff. de Eviçt. Grot. de J. B. & Pacis, L. II. C.
 14. §. 7. Ziegler. de jur. maj. L. 1. c. 41. tb. 82. Carpz. p. 2. cap.
 33. def. 16. Gail. obser. 56. n. 1. Christian. Wildvogel. Dis-
 sert. jurid. I. Bonum publicum an & quomodo bonus princeps
 bonis privatorum preferre debeat? Part. II. Fritsch. Exercit.
 var. jur. Publ. Part. III. Diff. X. de absolut. Princ. potest. Cap.
 III. passim. Lauterb. Coll. Pr. Lib. XLI. tit. 1. tb. 7. idque
 nonnunquam vi dominii, quod vocant eminentis; quod
 quantum potestatem imperantibus tribuat, illimitatam
 scilicet, quoad necessitatem & salutem publicam; vid.
 Puffend. de Jure Nat. L. 8. c. 5. §. 7. Grot. L. I. c. 1. §. 6. Boe-
 celer. & Ziegler. ad Grot. l. c. it. L. 2. c. 14. §. 7. Stryck. de sa-
 int. Publ. c. II. §. 43. & 44. nec per hoc iniuria afficiuntur;
 cum superior id non sine iusta causa faciat, aut facere cen-
 seatur. Tabor. fol. 632. ax. 4. & 5. Leges & autores ibi cita-
 ti. conf. Hobbes de Civ. c. 8. §. 7. Decius ad cap. que in ec-
 cles. X. de Constit. n. 27. nec ex hoc debitæ se obedientiae
 subducere possunt; nam in superiorem potestate trans-
 lata, ei semper per omnia obtemperandum esse, & ratio
 & natura svadet. Proverb. XXXIX. vers. 15. Rom. XIII. vers.
 1. L. 2.

I. L. 2. ff. L. 3. & 9. C. de LL. Meisner. tr. de LL. L. 4. scđ. I.
qu. 10. Diod. Sicul. L. I. c. 90. Puffend. de jur. Nat. c. 8. §. 1.
& seqq.

§. II. Ex hac tenus dictis satis, opinor, patet, superiores non nisi ex magnis & urgentibus causis ultimas iure posse mutare voluntates. Nunc fundamenta harum causarum positurus, non est, ut ea præcise & exclusivis aliis determinare audeam; ut enim nec omnes rerum casus, ita nec omnes possunt illorum prævideri & indicari causæ. Et superiores nonnunquam actionum suarum tam sacras, tam sublimes, tamque abscinditas habent rationes, ut in eas inquirere, illas attingere, istasque detegere velle, maximum foret piaculum & summa audacia; idcirco tantum conabor investigare, quænam potissimum causæ sint, ob quas superior, vel etiam iudex, testamentum, aut aliam quamcunque ultimam voluntatem omnibus modis absolutam, nec ullo vitio laborantem, aut proprio motu, aut ad petitionem partium, per rescriptum vel alium actum similem, contra declaratam defuncti voluntatem iuste mutare valent? Sane eas redire eo arbitror, ut superior vel iudex tunc dictam mutationem citra ullam iniuriam suscipere & iniungere queat, si per testatoris cuiusdam ultimum arbitrium & ejus executionem vel impletionem salus publica, vel religio, vel honestas, læditur & turbatur; L. 14. ff. de Condit. Inst. L. ult. C. si quid contr. jus L. 9. 27. de Cond. Inst. illicitæ enim morientium voluntates non sunt servanda, Nov. 22. c. 43. nec inepta defunctorum valent, L. 14. §. 5. ff. de relig. & sumt. fun. & Gothofred. in not. L. e. Lauterbach. Comp. ad tit. de condit. & demonstr. sub init. Struv. ad tit. de relig. & sumt. fun. tb. 86. de quibus causis illarumque conclusionibus in Sphisis quen-

quentibus tractabitur. Et ob has causas superiorum indistincte dictam mutationem suscipere posse, arbitror, ut ut inficias haud eam, plures adhuc dari causas, ob quas ab Imperantibus ultimæ voluntates immutari queant. Ast cum ex aut ad nostra principia redeant, aut speciale tantum casum in legibus decisum respiciant, inter generalia nostræ affirmationis principia hic afferre incongruum credidi, sed de illis in fine dissertationis quadam dicenda putavi. Nec testamenta ab his ex dictis causis susceptis mutationibus, muniuntur aut vindicantur diris illis execrationibus atque imprecationibus, quæ ultimis voluntatibus addi solent, & olim sàpius solebant, cum primis in legatis ad pias causas, ut homines à profanatione & alienatione rerum sacrarum & Deo dicatarum absterreantur. B. Link. *de jure templ. c. 12. n. 34.* in quibus testator non tantum heredibus, sed & principibus & potestati judicariæ, si quid immutare audeant, omnia maledictionum genera, & anathemata, quæ excogitari possint, imprecatur; quorum imprecationum dira & honorem atque pavorem excitantia exempla adfert Beßold. *in thes. Pr. voc. Stiftung.* Klock. *de Ærar. L. II. c. 83. n. 46. sqq.* & autores ibi largiter citati. Hæ enim imprecations ultimis voluntatibus non plus virium, quam quod ipsæ habent, addere, nec execrationes, tanquam accessorium, testatorum valere possunt, si ipsorum voluntates tanquam principale, mutantur. conf. D. Schächer. *in dissert. de execrat. ult. vol. c. 2. n. 6. sqq.* nec illarum ullum alium in jure effectum esse, quam ut de seria testatorum mente & voluntate satis testentur, cum Stryckio *in tr. de Caut. test. c. 24. §. 76.* opinor.

S. III. Quanta vero superiorum in inferiores est potestas,

potestas, & quanta inferiorum erga superiores esse debet & reverentia & obedientia; tanta est contrario potestatis superiorum esse, debet iustitia, & tanta subditorum commoda & salute promovendi cupido & affectio. Nil enim aliud est imperium, ait Ammian. Marcellinus L. 29. c. 2. ut sapientes definunt, nisi cura salutis alienae, bonique est moderatoris restringere potestatem; nec enim populus est propter principem, sed Princeps propter populum, & eis iusti imperii finis, obedientium commodum & salus: Marcell. L. 25. c. 3. & Hen. Valesius ad dict. L. 29. Hinc superiores nihil magis curæ cordique habent, ac habere debent, quam ut subditorum utilitatem & salutem promoveant. Hoc enim præcipuum illorum est officium, & hic est finis atque intentio institutarum civitatum & collati in eos imperii. Nemo enim, docet Plato de Republ. L. I. in aliquo principatu imperans, quatenus princeps est, quod sibi conferat, cogitat, aut præcipit, sed quod subiecto conducat, & que dicit, quoque facit, cuncta ad illius utilitatem decorisque dicit & facit. Ex quibus decantatum illud Politicorum descendit axioma: Salus publica suprema Lex esto: qua Lex, uti superiores non quidem potestate quadam coactiva, nec ex necessitate (quis enim tantæ est autoritatis, ut principem nolentem obedire legibus, ad id possit coarctare, Nov. 23. c. 2.) sed tantum in conscientia obligat, & illorum potestatem limitibus utilitatis publicæ restringit; ita quoque ista eos ab omni obligatione liberat, ac summam & illimitatam ipsi circa vitam, actiones, jura & bona, potestatem tribuit, & omnes regulas juris limitat. Brunneum. ad tit. Cod. de curs. publ. n. f. Hering. de molend. qu. II. n. 93. Quos & plures allegat Stryck. de salute publ. c. II. §. 2. Hac vero illimitata

limitata potestas ob salutem publicam, non tantum Imperatori sed & omnia statibus imperii, vi superioritatis territorialis competit. Stryck. I. c. §. 45. usque ad §. 55. quid? quod non dubitandum, quia etiam Magistratus inferiores, Legibus posthabitisi, si causa moram non patitur, & evidens premit necessitas; absque mandato superioris, ex praesunto ejus consensu, publicæ possint consulere saluti. Sanders. de Oblig. conscient. pral. 10. §. 10. Felin. ad. c. que in Ecclesiastum 7. x. de Consil. n. 32. Dec. conf. 551. Nam cum salus publica finis sit rerum publicarum & civitatum, omnia media Magistratibus licita esse debent, per quæ ad hunc finem venire possumus; qui enim vult finem, vult etiam media ad finem ducentia, &, ut Puffend. verbis in §. 7. L. 8. c. 5. de Jur. Naturar., ipsa vis imperii propter salutem publicam instituti sufficientem principi titulum præbet, urgente necessitate, utendi bonis suorum subditorum, eo quod omnia simul concessa intelligentur, sine quibus obtineri bonum commune non potest. conf. Grot. de Jure Bell. & Pac. L. 2. c. 14. 7. & L. 3. c. 20. n. 7. Beimann. & Boecler. ad b. I. Wildvogel. in Dissert. I. Bonum publ. an & quomodo Princeps bonus bonis privatorum preferre debeat. c. II. §. 1. 10. & sqq. Gail. L. I. obs. 114. n. 7. & L. 2. observ. 56. Sanderson. de oblig. consc. pral. 10. §. 18. & 15. Stryck. diss. de salute publ. c. I. §. 39. sqq. & §. 46. Zaf. tom. 6. L. 2. conf. I. n. 24. & ea que supra in §. 1. tradidimus. Ex quo itaque fluit haec conclusio, quod si per testamentum quadam, vel quamcumque dispositionem perfecto jure factam, ut nec ulla vitio labore, nec actione vel querela quadam impugnari possit, nec alio modo rumpatur, vel nullum & irritum reddatur; saluti publicæ officeretur, utilitas

utilitas populi laderetur, publica tranquillitas turbaretur, superiorem vel magistratum istud testamentum omni jure, & citra ullam injuriam aut pro parte secundum lesionem, immutare vel annihilare & infringere posse ac debere. *I. 13. ff. de Pollicit. conf. L. ult. C. si quid contr. jus. Et utilit. Et Doctores ad b. I. Römulejus de test. praecept. n. 247.* Vasquius *I. c. T. I. L. 1. n. 10. 29. 30.* & autores citati. Wildvogel. loc. c. §. 19. Stryck. in *Diss. de salute publ. c. IV. n. 15.* Quot autem & quibus modis ius publica per testamentum laedi queat? heic non inquisitur ero; siquidem id innumeris & variis modis accidere posse, quilibet deprehendet; sed hoc definitum dijudicationi & prudentia superiorum & judicium relinquendum censeo. Et ab hac mutatione voluntatum ultimarum ob salutem publicam suscipiendam, nec inviolabilis sanctimonia nec summa potestas testantium testamenta liberat atque vindicat. Illustrē & fere inauditum exemplum testamentum Ludovici XIV. Regis Galliae nobis sicut. Neminem enim rerum politicarum adeo ignarum esse credo, qui nesciat, quot, & quantis solennitatibus defunctus Galliae Rex, cuius oracula universa Gallia, quamdiu vivebat, semper inviolabilia & sacra, colebat atque venerabatur, suam declararit ultimam voluntatem? Eheu, quot curis, quot circumspectionibus, quot monumentis, suum extremum summus iste in suo regno princeps, elogium atque oraculum contra injuriam & mutationes hominum, temporis, aquæ & ignis munivit, defendit? Nihilominus tamen & istud ob salutem publicam in multis & plurimis capitibus à Rege Ludovico XV. mutatum fuisse, historia Gallica nos edocuit. Imprimis vero

vero eminuit ista mutatio, qua filiis Principibus naturalibus, Regis Ludovici XIV. Ducis scilicet Cenomanens. & Comiti Tolosano Legitimatio & qualitas Principum ex Sangvine regio nostrorum competens, & jus extincta familia live domo regia succedendi in regno ipsis à Rege patre per edictum quoddam & legem latam anno 1714, mense Julio concessum, & declaratione quadam vim legis habente, anno 1715 mense Mayo extensum, denique Regis testamento hisce verbis : *Nôtre intention est, que les dispositions contenues dans notre Edit du mois de Juillet dernier en faveur du Duc du Maine, & du Comte de Toulouse, & leurs descendans, ayent pour toujours leur entiere Execution sans qu' en aucun temps, il puisse etre donnee atteinte aucune a ce que Nous avons declare de Nôtre volonté, confirmatum, Edicto regio & lege publice promulgata A. 1717. niense Julio auferebatur : quo Edicto Rex omnia edicta antecedentia Regis Proavi sui mortui in favorem Principum legitimatis & qualitatis sanguinis regii & successionis edita, revocabat, & nulla declarabat ; quæ mutatione plures adhuc alias contra expressam defuncti Regis voluntatem immutationes generabat.* Cujus vero mutationis nulla alia ratio erat, quam salus publica & utilitas populi, sicuti hoc Rex in ipso *Edito mens. Jul. A. 1717. promulgato, indicavit.* confer, *Mercure historique de Mois Juillet, & acta, que Paris sub hoc anno 1717. prodiere.* Sicuti vero salus publica nec sanctimoniam Principum quoad testamenta respicit, ita quoque nec sanctitatem rerum considerat ; sed urgente necessitate & utilitate publica permittit bona à testatoribus Deo, vel Ecclesia dicata & legata in aliud & profanum usum contra testatoris intentionem convertere ; si scilicet aliter salus publica obtineri non possit, arg. L. 25. C. de SS. Eccles.

*Eccles. can. aurum. X. de eccles. Afric. L. 1. C. de oper. lib. can.
4. X. de Reg. Jur. Hugo de sanct. Victor. L. 2. P. II. cap. 7.
Fritsch. in Diff. de jur. necess. scđt. 6. class. 5. §. 5. Mauritius
diff. de secularisat. cap. 4. n. 3. nam cum in Reipubl. salute
salus Ecclesiarum consistat atque tueatur, & salva illa, hac de-
mum salva existere possit, ista vero eversa, hoc ipso hæc
evertatur, quid quođ obstat? quo minus bona ecclesia-
stica ad utriusque conservationem impendi valeant. conf.
diff. cit. loc. Stryck. disp. de salut. publ. c. 4. n. 19. de quibus
vero bonis infra plura.*

§. IV. Ratione hujus legis summæ: salus publica
scilicet suprema Lex esto! varia adhuc quæstiones mo-
veri possunt; & quidem 1) an testamentum, in quo ho-
stis patriæ heres scriptus, vel in quo ei quid legatum aut
relictum est, valeat? De jure veteri Civili quæstio hæc,
cum hostes & peregrini sint, legibus jamjam decisa, quip-
pe quæ auferunt peregrinis testamensfactionem passivam.
*L. 6. §. 2. ff. de hered. instit. L. 13. §. 2. ff. de test. milit. L. I. C.
eod.* Et licet per autb. omnes peregrini C. commun. de suc-
cess. testamensfactione etiam peregrinis indistincte conces-
sa videatur, conf. Brunneim. ad cit. autb. Reusner. de te-
stam. p. 2. c. 54. n. 3. Lauterb. Coll. Pr. sit. qui test. fac. tb. 26.
Et tit. de liber. Et postibm. tb. 8. Attamen nihil secius pu-
to, illum textum duntaxat de peregrinitate innata intelli-
gendum esse, non autem de peregrinitate in poenam ali-
cui à Lege dictata, quæ hodienum adhuc, ut in bannitis &
ad mortem damnatis locum habet, ita etiam perinde in
hostes patriæ peregrinitatem eam adhuc applicandam au-
tumo, ut ipsis relicta ceu indignis non sint tribuenda, sed
fisco adPLICANDA: inde nullus dubito, quin nostrum prin-
cipium Principibus & Superioribus non tantum permit-

eat, sed & injungat, hujusmodi ultimas voluntates mutare. Cum enim Reipubl. inter sit, ut hosti quocunque modo noceatur, ejusque vires minuantur. Grot. L. 3. cap. 4. §. 3. Puffend. L. 8. c. 6. §. 5. 47. *baud enim Elisabetha Angliae illa mascula regina, referente Grotio, Histor. Belgic. L. 6. ad Ann. 1589. in fin. passum,* inquit, *sapientem ulla ope cum juvari, qui suo exitio immineat, isque pro hoste habeatur, qui hosti arma, vel pecuniam, vel res subministrat.* Grot. L. 3. c. 1. §. 5. Hertius in not. ad Puffend. l. c. tit. C. & autor. citat. Per hujusmodi autem testamentum vires hostium è contrario augeantur & juventur; quid quofo prohibeat? quo minus superiores hujusmodi ultimas voluntates, ubi hostis patriæ heres scriptus in totum, in quibus vero tantum hosti quid relictum, quo ad hocce legatum immutare queant. Accedit ad has rationes & ratio ex L. 2. C. que res export. non deb. ubi prohibitum sub poena confiscationis legitimus, omnia genera armorum hostibus vel illorum legatis, vel sub quocunque alio colore ad urbem venientibus vendere, & in lege 2. C. de Commerc. & merc. ii. suppliciis subjungendi leguntur, qui aurum hostibus præbent. Olim autem testamenta nonnulla sub imaginaria celebrabantur venditione §. 1. I. d. testam. ordin. Dixi testamentum, in quo hostis patriæ heres scriptus fuit, in totum mutari debere, hac ratione motus, quia heres, cujus institutio basis atque fundamentum testamentorum §. 34. I. de leg. L. s. ff. de jur. codic. Carpov. P. 3. const. 4. def. 12. hereditatem ipsi delatam adire non potest, & si testamentum sit quasi destitutum, §. 2. I. de L. Falcid. §. 7. I. de hered. qui ab Intest. L. 1. ff. de injust. rapt. L. 64. ff. de V. S. L. 9. ff. de testam. tut. L. 181. L. 178. de R. I. Sande ad L. cit. 181.

Reusner.

Reusner. *de test.* P. 6. c. 23. n. 2. Lauterb. *disp. de testam.*
def. S. 3. sqq. nec ex hujusmodi testamento destituto quic-
 quam debetur, L. 13. §. 3. ad SCt. Trebell. §. 2. J. de leg.
Faleid. L. 2. 17. C. *si quis omis.* Carpz. p. 3. c. 2. def. 21.
 Struv. *Exerc.* 32. tb. 47. ibique Müller. Altera, quæ inde
 oritur, quæstio movenda majori disquisitione, quam ante-
 cedens quæstio, cuius decisionem ipsa ratio dicitat,
 opus habet: cui scilicet hujusmodi hereditas vel reli-
 cturnum legatum ad crescat? nec ulla lege hanc & antece-
 dentem quæstionem directis verbis determinatam, nec a
 quodam Autore, quos haec tenus de testamentis conferre
 licuit, decisam deprehendi, nisi quod ejusdem decisio
 ex argumento L. 10. II. & 18. *de bis qua ut indign.* nec non
L. 2. C. de bonis prescript. petenda esse, videatur. Quare
 ista partim ex analogia juris, partim ex ratione & equi-
 tate decidenda erit. Porro distinguendum videtur, an
 heres sive legatarius tempore mortis testatoris iam hostis
 patriæ; an vero ex post facto demum hostis factus. Illo
 casu indubie hereditatem fisco cedere, & hostibus re-
 lista tanquam ab indignis ad fiscum devolvi debere ar-
 bitror, cum sere semper, quod indignis ausertur, ad fi-
 scum veniat. L. 2. L. 12. L. 16. §. f. & passim ff. *de bis qua*
ut indign. Lauterb. *Colleg.* Pr. b. tit. 5. & ult. Wildvogel.
diff. sepius citat. Part. II. §. 64. Klock. & Mevius ibi citat.
 Mantic. *de conj.* ult. vol. L. 8. t. 1. n. 30. Eckolt. ad b. t.
 Struv. *Synt. Jur. Civ. Ex.* 35. tb. 94. Accedit & hæc ra-
 tio, testatorem scilicet scire debuisse, omne negocium
 & commercium cum hoste non tantum prohibitum;
L. 4. C. de commerc. & *mercat.* Ziegler. *de jur. commerc.* L.
 1. *de jur. majest.* c. 41. tb. 25. sed & in contrahentes suppli-
 cia & honorum confisicationem esse statuta. L. 2. L. 4. L.

ult. C. de commerc. & merc. L. 2. C. qua res export. non deb.
 Cum itaque cum hoste nec actu oneroso contrahere licet, quomodo quoſo sine poena in Legibus definita actu mere lucroſo ipſi quid dare licebit? merito in hoc caſu fisco relicta erunt applicanda. Nec obſtat, quod ab initio hujus §. dixi, testamentum, in quo hostis heres scriptus, eſte testamentum quaſi deſtitutum, quia hereditatem adire nou potest; deſtituti autem testamenti natura eſt, ut hereditas ad heredes ab intestato venientes deferratur; Lauterb. disput. cit. §. 10. ſqq. & LL. & autores ibi citat. Nam hac in cauſa ſimpliciter non potest dici teſtamentum deſtitutum, quia iura ſpecialeſ poenam in delinquentes contrahentes cum hoste ſtatuerunt; & ſic ex delicto quaſi hereditas auſertur: nam qui conſentit in delictum, conſentire quoque videtur in poenam, & quia heres vel legatarius ut indignus conſiderari potest, qui alias, ſi non hostis patriæ, teſtamentiſationem ha-beret, propter hanc indignitatē autem relicta capere non potest, ſed fisco relinquere cogitur. L. 16. de his que ut indigni. & relig. ſupra alleg. L. 2. pr. ff. de jur. fſſ. L. 8. §. 14. ff. de inoff. teſt. L. 3. §. f. ad SCt. Trebell. quod mediante ſententia declaratoria fit, Klock. Vol. I. c. 46. n. 1. Nec me movet, quod alias, ut quis indignus conſeat, requiratur, ut ille vel à lege, vel à teſtatore, aut ob deli-ctum in teſtamentum, auti pſum teſtatorem commiſſum, indignus judicetur Lauterb. d. I. §. 1. 2. 3. 4. & 8. Nam arbitror, nos cum, qui hostis patriæ eſt, omnium deli-ctorum ex animo iuſtenſo & hostili contra teſtatorem ca-pacem & proclivem juſicare poſſe, nec heredes ab in-testato venientes de ulla iuſtria queri poſſunt, cum à teſtatore ipſo ante, alio iuſtituto herede, ipſis hereditas auſere-

auserebatur. In altero vero casu, si scilicet heres scriptus vel legatarius post mortem testatoris demum hostis patriæ devenit, primo intuitu videtur testamentum ita dīci posse destitutum, ut hereditas deseratur heredibus ab intestato venientibus; nam testator non incidit in pecuniam legis, cum contra legem venire non intendit, nec heredes in Legem peccarunt, & alias natura testamenti, cuius heres scriptus hereditatem adire non vult vel non potest, est, ut hereditas ipso jure in heredes ab intestato venientes transferatur, legata vero hosti, post mortem testatoris demum pro hoste declarato, relictis, propter legatarii inhabilitatem, pro non scriptis haberi posse, & sic ad heredem vel substitutum vel conjunctum secundum circumstantias legati pertinere L. 1. & 3. ff. de his qui pro non script. L. un. §. 3. C. de caduc. toll. Lauterbach. Coll. pr. tb. 6. & Eckolt. ad tit. ff. de his que pronon script. Verum enim vero cum hic nec persona testantis, nec ejus heredium ab intestato venientium, sed qualitas & meritum heredis & legatarii scripti attendatur, eundem & hoc in casu hereditate ita indignum judico, ut ipsi relicta & commoda ex testamento ad fiscum pertineant, ad exemplum haereticorum & Apostatarum, qui etiam indigni hereditate, cum sint hostes religionis, iudicantur. L. 2. C. de bonis prescript. L. 3. ff. de relig. & sumpt. fun. L. 9. C. de Pagan. & sacrif. & Gothofr. in not. lit. O.

§. V. Ex nostro principio & hæc ositur quæstio: num superiores bona extra familiam alienari prohibita, vel alia bona senioratus majoratus vel fideicommissa familiae per testamentum constituta, in crimen Perduellionis, non obstante prohibitione & constitutione testatoris, possint confiscare, & sic contra voluntatem testatoris

toris mutare? & hic distinguendum erit, an in testato-
 rem ipsum cadat hoc enorme delictum, & nullum est
 dubium, quin affirmative respondeamus; dubium vero
 magis oritur, si quidam heres crimen illud commisit:
 num scilicet hujusmodi bona cadant in commissum, ut
 debeant confiscari ex delicto prohibiti vel senioris aut
 possessoris? & iterum subdividendum esse puto, an
 nimorum delinquens solus superstes sit patersimilæ, ita
 ut nulli alii, quam ipsius filii descendentes hisce bonis à
 majoribus relictis uti & frui possint, & tunc superiorum,
 refragante prohibitione & institutione, bona simpliciter
 confiscare posse, ex L. f. ff. L. 5. 6. 7. 8. C. ad L. Jul. Maj.
 L. 1. C. de petit. bon. subl. L. 2. C. de bon. prescr. Aur. Bull.
 c. 24. Harprecht. ad §. 3. Inst. de publ. Jud. n. 82. statuen-
 dum, cum & filii omnium successionum incapaces de-
 clarentur L. 5. §. 1. C. ad L. Jul. Maj. arg. L. 8. §. f. quod
 met. caus. Ordin. Crim. art. 218. Bachov. vol. 2. disp. 23. tb. 1.
 Bocer. c. 3. n. 89. sq. & hoc ob favorem utilitatis, pacis
 & tranquillitatis publicæ, quæ hocce delicto quam ma-
 xime lèduntur, turbantur, invertuntur, ne quoque filii
 amplius nocere Reipublicæ possint. L. 1. ff. ad L. Jul. Maj.
 vid. omnino Grot. L. 2. c. 21. n. 16. Et not. Beermann. &
 Ziegler. Quod si vero & alii adhuc superstites sint agnati,
 ad quos post mortem delinquentis vel ejus descen-
 dentium bona à majoribus in utilitatem familiæ relictæ,
 vel extra familiam alienare prohibita, devolverentur,
 tunc ea bona non simpliciter in præjudicium agnatorum
 confiscari debere, ratio juris suadet; arg. L. 12. ff. de
 fideicom. libert. quia hi non fideicommissario, sed fidei-
 committenti succedunt. Hahn. ad tit. de bonis damnato-
 rum n. 16. Lauterb. Coll. pract. ad b. t. tb. V. Bartol. ad
 b. t.

b. I. Romulejus de test. praecept. §. 239. Et aut. ibi cit. delicta
 enim tertio innocentii nocere non possunt, sed suos de-
 bent tenere autores, L. 22. C. L. 26. ff. de paen. L. fin. ad
Senat. Syll. nec etiam in feudis factum & delictum vasalli
 possessoris potest nocere agnatis, si est feendum antiquum,
arg. I. Feud. 8. §. e contrario. II. Feud. 39. §. 45. Struv. Synt.
J. F. c. 15. in not. ad aphor. 14. sed ad agnatos suo tem-
pore ea sunt deferenda. Lauterb. Coll. Pr. tit. ad L. Jul.
Majest. §. 25. in fin. Usumfructum vero dictorum bo-
 norum, vivente delinquentे, ipsiusque filiis, ad princi-
 pium pertinere judicat Cast. in L. insulam. solut. matr.
Matth. de Afflict. in tit. quæ sint regal. vers. bona commit-
tentium. Coll. I. n. 5. & plures apud Romulei. I. c. §. 244.
in f. Hancque opinionem defendere, nullus dubito,
 quia hanc sententiam, cum in Jure Civ. non inveniatur
 determinata, ex analogia à Jure feudali desumpta, defen-
 di posse, existimo, ubi scilicet feendum, per feloniam pa-
 tris apertum, ad dominum revertitur, ita tamen, ut post
 vasalli, qui deliquerit, ejusque filiorum mortem, agnatis
 sit, si scilicet Feendum est antiquum, & felonia in ipsum
 dominum commissa, & non culpa in extraneum perpe-
 trata. Struv. c. 15. tb. 14. §. 15. Stryk. Ex. F. cap. 13. q. 46.
II. F. 24. §. f. II. F. 37. Hartm. Pistor. L. 2. qu. 15. §. 16.
Vultej. L. 1. de feud. c. 11. n. 47. Struv. Synt. J. F. c. 15. §.
14. & not. ibique autores citat. c. 13. §. 10. Ex adstructo
 hucusque nostro principio & hæc mutatio testamento-
 rum oritur, quando scilicet peregrino vel forensi cui-
 dam, cui immobilia relicta vel legata sunt, quæ autem
 illo in loco vi privilegii vel ex consuetudine loci ob sa-
 lutem & tranquillitatem publicam exteris habere non
 licet, rem immobilem possidere non permittitur, sed
 ipse

Ipse cogitur præscripto tempore ea bona in manus civi-
um vendere & transferre. Cum alias regulariter nemo
ad rem suam vendendam cogi queat. L. u. C. de Contr.
E. V. L. 16. C. de Jur. deliber. L. i. C. de Rescind. Vend. arg.
L. 5. C. de O. & A. Lauterb. Coll. Pract. ad tit. de Contr.
E. V. tb. 10. Faciunt hoc verba Privilegii Perillustris Rei-
publicæ Norimbergensis concessi de non alienandis im-
mobilibus in manus Forensium, & ab Invictissimo Im-
peratore CAROL. VI. Viennæ d. 13. Mart. A. 1713. reno-
vati: daß diejenige Unburger / und Auswerte, wel-
che etwan dergleichen unbewegliche Güter oder da-
hin gehörige jura und Gerechtsame, durch Erbschafft/
Vermachtniß / Schanchungen / Dationen in solutum,
gerichtliche Executionen, oder sonst rechtmäßig zu-
fallen würden / schuldig und gehalten seyn sollen/ solz-
che innerhalb Jahres-Frist an einen Nürnbergischen
Burger oder Burgerin zu verkauffen. Denique si
quoque per ultimam quandam voluntatem publica tur-
batur tranquillitas, ita, ut per ejus executionem inex-
plicabiles rixæ, controversiæ & odia orirentur, tunc &
Superiores ad tollenda hæcce inconvenientia, ob tran-
quillitatem & salutem publicam, hujusmodi ultimas vo-
luntas mutare, & earum executionem impedire posse,
reor. Magistratus enim debet providere, ne rixæ &
seditiones neque lucri neque passionis alicujus causa orian-
tur. Nov. 17. c. 2. Rom. in L. si vera. §. de viro solut. matr.
in 7. limit. Alex. conf. 7. L. 5., quos & plures allegat Ro-
mulej. cit. tr. §. ult. Et, ut jam dictum in genere, ad uti-
litatem publicam tuendam omnia Magistratibus licita
sunt, sine quibus illa subsistere non potest: nam & plu-
res casus offerri possunt, ubi mutatio testamentorum &
inten-

intentionis testatorum, ob salutem publicam, & maiorem Reipublicæ utilitatem, adprobata legitur. *L. un. C. de expens. ludor. publ.* ibique Perez., qui plures allegat, & Brunneimann. *L. 13. §. 1. ff. de pollicit.* *L. 4. ff. d. admin. rer. & civ.* *L. usq. de oper. publ.* Sed cum hi casus omnes ad nostrum principium redeant, adducta ad nostram thesin probandam & declarandam sufficiant.

§. VI. Hactenus demonstravimus potestatem Superiorum in mutandis ultimis voluntatibus ob salutem publicam; nunc altero loco venit exponendum, Superioribus ob religionem testamenta etiam mutare licere, si scilicet per ultimam quandam voluntatem vel ejus executionem tolerata religio in periculum incurreret, vel ejus exercitium impediretur, inverteretur, vel turbaretur, vel hæresis aut religio reprobata promovereatur; cuius ut Superiores semper summam & primam habeant curam, reipublicæ quam maxime interest, *cap. 3. X. de privileg.* Plato *L. 7. Polit.* Religio enim est vinculum societatis humanae, atque fulcrum, columna & fundamentum Reipublicæ. Grot. *de Jure B. & P. L. 2. c. 20. §. 44. n. 3.* Tabor. fol. 699. c. 25. ax. 1. Hinc etiam, quod in religionem committitur, in omnium fertur injuriā. *L. 4. C. de baret.* Grot. *l. c. n. 6.* nec admittendum, ut ipsi per indirectum noceatur. Grot. *c. 15. §. 11. n. 2. in fin.* Sic quoque nec præter religiones publicis legibus adprobatas, aliae sunt tolerandas per *Constitut. Frider. II. in autb. Gazaros C. de baret.* *L. 8. C. de Pagan. & sacrif.* *Recess. Imp. de anno 1555. §. alle andere.* *Instrum. Pac. art. 7. §. si vero præter relig.* Sunt vero in genere religiones in Imperio Roin. Germ. toleratae, Catholica & Augustana Confessio; *Recess. Imp. de anno 1555. §. Doch*

Doch sollen. 17. Instrum. Pac. Westphal. art. 7. §. si vero. Schweder. Introd. in Jus publ. part. gen. c. 3. §. 21. in fin. Sub Augustanæ Confessioni addictis vero hodie comprehenduntur etiam Reformati. d. Instrum. Pac. art. 7. §. Unanimi. In specie vero in quolibet territorio istæ religiones dicuntur toleratae, cujus exercitium ibi anno illo decretorio millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, viguit. Instrum. Pac. art. 5. §. Hoc autem non obstante. 31. conf. Textor. Jur. publ. Stat. tit. 13. n. 64. sqq. n. 293. sqq. Quod si itaque per heredis cuiusdam institutionem, vel per legata & fideicomissa ad pias causas, Religio vel in genere vel in specie tolerata contaminari, ejus exercitium impediri, aut alienus vel supersticiosus cultus introduci videretur, tunc Superiores pro circumstantiis ista-abolere vel immutare posse, nemo dubitat. conf. L. 9. C. de Pagan. & Sacrif. L. 3. & 4. C. de Apostatis. L. 1. C. de Judeis. Cujac. Consule. 32.

§. VII. Ex hoc itaque principio mox adstructo decisio hujus questionis etiam petenda: num scil. Superior legata vel hereditates ad cultum non toleratum vel superstiosum dicata & relicta mutare, & ad alium usum applicare possit? Negativam quidem defendit illud axioma: quod testatorum voluntates ad unguem & placitum testantium servanda sint. L. 16. C. de SS. Eccles. Nov. 1. pref. & c. 1. §. 1. L. 24. & 28. C. de Episc. & Cler. & ea, quæ in §. 3. cap. 1. de validitate voluntatum testantium adduximus, quodque hujusmodi legata plerumque execrationibus illis diris contra mutationes sint munitæ, de quibus in §. 2. b. cap. plura jamjam tractavimus. Adstruit porro hanc sententiam notissimum illud juris dicterium, quod Deo semel dicatum, amplius ad alios usus

usus transferri non debeat, *Levit. XXVII. v. 28. can. 4. c.*
 19. qu. 3. Cothmann. *conf. 100. n. 18. 10. vol. II.* siquidem hu-
 jusmodi immutaciones sub gravissimis poenis de omni
 jure prohibitas invenimus: sic de jure divino constat ex
Jos. VII. v. 1. Daniel. V. v. 3. Joel. III. v. 5. 12. 13. Malach.
III. v. 8. Levit. VII. v. 25. XXVII. v. 28. 2. Maccab. III. Act.
V. v. 3. Epist. ad Rom. II. v. 22. ecquis nescit, omnibus
 etiam gentibus sacra profanare summam fuisse religio-
 nem, grande nefas, & morte piandum. vid. *Scipio Amir.*
 in *Discurs. ad Tac. 15. c. 5. Grot. de jur. B. Et P. L. 3. c. 5.*
Lactant. de orig. error. L. 2. c. 8. Peck. de Eccles. repar. C. 3.
n. 2. Et 3. qui multa exempla adfert de Ethniciis Regibus
 & Ducibus, qui sacra profanare religioni duxere. *Maurit.*
desecularis. c. 8. §. 2. Et autor ibi citat. qui & LL. XII. Tabb.
 hac de causa refert: *Sacrom facrove commendatorem qui clep-*
serit rapseritque, parricida esto. Et quod sunt leges in jure
 hac de prohibitione latæ? sic *L. 14. L. 9. Et autb. hoc jus*
porrectum C. de SS. Eccles. Nov. 7. Nov. 8. c. 10. Nov. 120. c.
7. Et ut quosdam canones, poenas in profanantes bona
 ecclesiastica statuentes, afferamus, vid. *can. si quis princ.*
c. 16. qu. 7. c. 2. seq. c. 1. qu. 3. c. 1. 3. 4. Et 13. c. 17. qu. 4. c. 1.
3. caus. 12. qu. 2. Concil. Cartbag. IV. cap. 32. Synod. Rom.
III. c. 4. Concil. Tolet. IX. c. 1. nec jus publicum de his
 profanationibus siter, sed eas saepius prohibet, sic in *Recess.*
Imp. de Ann. 1544. §. und damit der Kirchen-Güter
halben. d. A. 1530. §. etliche haben Klöster. d. A. 1555. §.
dieweil aber etliche. §. als auch den Ständen. in fin.
conf. omn. Maurit. diff. cit. c. 3. §. 7. Joh. Hornbeck. Exam.
Bull. Innoc. X. p. 76. qui autores ad hanc questionem fa-
 cientes recensent. Hilce vero omnibus non obstantibus
 affirmativam opinionem amplectendam arbitror, statu-
 endo,

endo, licere superioribus jura circa sacra habentibus, illicitum vel superstitionis cultum mutare & transferre in alium (non quidem quemcunque profanum) sed divinum, pium & Christianum ut scil. redimantur captivi, egenis, pauperibus, viduis & orphanis succurratur, ut ecclesia, Academias & scholae erigantur, & suscententur, & illorum Antislitibus Salaria praebantur, vel ad alias causas, de quibus vid. Stryck. caut. test. C. XII. §. 10. & 14. redditus impendantur. confer. Martin. Schoock. Lib. de bonis vulgo ecclesiast. sect. I. c. 21. c. 23. 24. 26. usque ad 29. Schwed. Intr. in J. P. P. spec. Sect. II. c. 12. §. 4. usque ad 9. ubi late jura statibus circa sacra competencia recenseret, Nov. 37. L. 49. de Episc. & Cler. Binder. diff. de bon. Eccles. 2. c. 26. Hortleder. de caus. bell. Germ. T. I. L. 5. & 6. Sieiring. de pac. relig. ib. 38. lit. 6. arg. L. 6. & 16. de us. & usuf. leg. conf. Klock. de arar. L. 2. c. 87. n. 2. & aut. largiterib. ciuat. Schneidewin. Manz. & Voet. ad §. 8. Inst. de rer. divis. ita tamen, ut intentio & memoria testantium, quantum potest, conservetur. arg. L. cit. 16. de us. & usuf. leg. L. 4. de admin. rer. publ. Hortleder. in Reichs-Handel. L. 4. c. 7. n. 10. Cran. de pac. relig. p. 1. probl. 5. & hanc mutationem pax religiosa fieri permittit. Receff. Imp. d. A. 1555. §. ob auch den Ständen / §. dieweil aber esliche Stände. conf. Wesenbec. conf. 37. n. 6. sgg. Matth. Stephan. de jurisd. P. II. c. 13. n. 10. sgg. quam thesin etiam rationes in §. antecedenti allatae tueruntur; cujuscunque enim Reipubl. interest, ut religio tolerata omni modo incontaminata conservetur. Nec obstant jura adducta: loquuntur enim omnia de alienatione vel profanatione rerum sacrarum & ecclesiasticarum sine justa causa facta; non vero de superstitiosi vel illiciti cultus in alium licitum,

tum, pium & meliorem cultum divinum mutatione; & illud tantum probant, quod Deo & Ecclesiae semel dica- ta non amplius in profanos usus sint transferenda. Id quod etiam à Principibus & Statibus Protestantium lau- dabiliter observatum suisse, historiæ testantur. Sic Mau- ritius, Saxoniæ Elector, cuius memoria hac de causa in omnium benedictione floret, bona Clericis destinata, non ad usus profanos, vel ad fiscum, sed ad pios usus, institutionem scilicet scholarum illustrium, Academia- rum augmentum, pauperum alimenta, pastorum & præ- ceptorum salario impendit. Sleidanus L. 15. p. 427. Mau- ritii Electoris Saxoniæ publicirte Lands-Ordnung / tit. von dem Überlauff der geistlichen Güter. conf. Se- ckend. Histor. Lutheran. L. 3. §. 10. n. 2. & seqq. Summis etiam encomiis prædicare debemus Ioachimum I. Elec- tor. Brandenburg. qui etiam redditus sacros in alios, mu- rato cultu, pios usus transmutavit. Joh. Frid. Reth. in diff. de Secul. c. 7. n. 39. & seqq. Io. Wolfg. Rentsch. im Brandenburg. Ceder. Heyn p. 485. Eadem bona ec- clesiastica ab Ulrico II, Duce Wurtemberg., cuius facta pia pio cultu universa Wurtembergia, & in illa Ecclesiae, Universitas, scholæ, seminaria theologica, orphanotro- phia adhuc venerantur, in variis usus sacros conversa legimus in Joh. Georg Lairizens Palm-Wald ad Tab. IX. c. III. p. 479. Ut nunc aliorum Principum & Statuum (inter quos etiam nonnullæ Civitates Imperii hanc ob causam non dignis satis laudibus evehî possunt) piis institutiones, & magnos ex bonis ecclesiasticis redi- tus ad sustentationem Ecclesiarum, Universitatum, scho- larum, viduarum, orphanorum, pauperum & similium laudabiliter destinatos & sacratos taceam. Conferantur

de his Everhardus à Weyhe in *Aulicopolit.* reg 216. Burchold. p. 2. *ad ius publ.* Disc. 9. n. 14. Myler. c. 88. Et ex his haec tenus dictis satis adparebit, quod res Deo & Ecclesia dicatae à Superioribus regulariter ad alium quam cultum sacrum transferri non possint. Excipiuntur tamen nonnulli casus, ubi res sacrae prorsus immutari queunt, cuius exceptionis supra in §. 3. unum adduximus exemplum, plura autem referuntur à Ferdin. de Castro Palao *Operis Moral.* part. II. tr. 2. disp. un. punct. 15. §. 2. p. 139. & à Mauritio in *diff. saptus cit.* de *Secularisatione c. IV.* per tot. quod rubro inscriptum, de *Secularisatione licita*, quos autem excerpere supervacaneum duco, quia omnes casus ad hæc duo possunt referri principia, licet sc. bona sacra & ecclesiastica ad quemcunque usum transferre, si publica necessitas & utilitas, religio & Pietas id postulat, per autb. *sancimus C. d. SS. Eccl. Nov.* 46. p. tot. c. I. de reb. Eccl. non alien. in 6to R. I. de anno 1542. §. Über die Kirchen-Kleinodien & §. Und zu diesen Christl. Werck. Schook. Libr. cit. de bon. Eccl. sect. I. c. 13. usque ad 29. Sed quæritur, quomodo & à quo hujusmodi mutationes fieri debeant? Ad hanc questionem ut rite respondeamus, videndum prius esse, arbitrör, quomodo & à quo res sacrae & ecclesiasticae hanc qualitatem sanctitatis recipiant, & eo ipso constabit resolutio hujus qualitatis. Nihil enim, uti notissimum, tam naturale est, quam eo genere quidve dissolvere, quo colligatum est, L. 25. ff. de R. I. Nov. 140. § ult. Inst. Quibus mod. toll. Olim de jure civili res fiebant sacrae per consecrationem, inaugurationem & destinationem ad usus sacros à pontificibus, vel qui jure Pontificum gaudebant, rite celebratam, L. 9. §. I. ff. de Rev. Div. C. l. ult. ff. ut

ff. ut in poss. Legat. Fest. voce sacer. p. 417. Tacitus Hist. V.

83. Hinc Ovidius Fast. I. v. 603. cecinit :

Sacra vocant augusta patres ; augusta vocantur

Templa sacerdotum rite dicata manu.

Et sic ejus revocatio etiam horum autoritate fieri debet, per evocationem sacerorum L. 9. §. 2. de R. D. Boeckelm. adff. de R. D. §. 4. Berger. *Dissert. I. de Evocatione Deorum ex oppidis obff. §. 2.* Macrob. *Saturn. III. 8.* Brisson. *de Form. I. p. 54. 63. & 64.* Hodie dissingvendum est inter religiones toleratas. Apud Romanæ ecclesiæ additæs qualitas sacra rebus conceditur per Episcopos certis adhibitis solemnitatibus aquæ benedictæ & chrismatis adhibitione. *Nov. V. c. 1.* *Nov. III. c. 7. can. 25. cap. 8. dist. 1. de consecrat.* B. Linck. *de jure episcop. c. 8. 55. & seqq.* Et econtra in violabilis ista sanctitas rebus hisce sacris & ecclesiasticis per eosdem, Pontificem scilicet vel Episcopos, admittitur, adhibitis nonnullis ceremoniis & solemnitatibus. *Clement. 2. d. relig. dom. c. 2. & c. verum X. de foro competent.* Svarez. *c. 17. n. 9. & c. 19. n. 5. & 7.* Everhard. *Conf. 94.* Gvido Papa. *quaest. 556.* Apud Augustana Confessio- ni vero adscriptos, cum Principibus & reliquis statibus protestantibus jus circa sacra vi superioritatis territorialis per transactionem Passaviensem de anno 1552. & secutam postea pacem religiosam an. 1555. Instrumentum Pacis West. art. V. §. 27. concessum, & omnibus capitulationibus confirmatum inveniamus, idcirco & sola illorum au- toritate res sacra vel ecclesiastica constituuntur, sine ul- lis ceremoniis, destinatione tantum & adhibitione ad u- sus sacros, & pro rerum diversitate nonnunquam solem- ni divini cultus celebratione per Ministros huic rei præfe- tos, vid. Magnif. Dn. Hildebrand. *in introduct. in jur. Prin-*

cip.

cip. L. II. Tit. I. cap. I. §. 7. & seqq. & ibi cit. Carpz. *Jurispr.*
Ecclesiast. L. 2. def. 334. Stryck. in *usu modern. ad tit. de Rer. Div.*
 §. 13. Grotius *de Jur. B. & P. L. 3. c. 12.* §. 6. Hinc ex ad-
 verso hoc jus immutandi res sacras vel ecclesiasticas &
 cultus superstitiones etiam Principibus & reliquis imperii
 statibus jura circa sacra habentibus competit. *Inst. Pac.*
Westph. art. V. §. 9. 10. & u. Bechmann. *medit. Polit. c. 17.* §.
 14. & seqq. Maurit. in *Diss. de secularis. Bon. Eccles. cap. 5.* §. 6.
 & ult.

§. VIII. Denique ratione præc. §. paucis tantum
 verbis & hujus questionis mentio est injicienda. Quod
 si relicta vel reditus à testatore quodam ad usum certum
 pium destinati & legati, ad eam causam non sufficiant,
 quid tunc juris? si reditus ex aliis testatoris bonis suppleri
 possunt, & testator, fundo quodam demonstrationis seu
 designationis solummodo causa adjecto, indicare voluit
 heredi, unde relictum sine incommmodo rei familiaris præ-
 stare queat, tunc reditus ex hereditate sunt supplendi,
L. 3. l. 12. ff. de alim. velcibar. legat. L. 96. de Leg. 1. Guido
 Papæ in *Decis. Gratianop. quæst. 8. & arg. L. legatum, ibidem*
Glossaff. de Leg. 2. Nam hujusmodi legata & relicta sunt
 integre præstanta, nec de illis Falcidia potest detrahi:
avtib. similiter. C. ad L. Falcid. Brunnen. & relig. Doctor.
 ad hanc *avtib. Nov. 131. c. 12. L. 6. ff. de fideicomm. libert.* Ti-
 raquell. 26. *Privileg. pia cause,* Carpz. *Conf. 86.* Quod si
 vero defectus nec ex hereditate suppleri, nec heres ad id
 teneri potest: quando scilicet testator legato aut obliga-
 tioni adjecit locum vel fundum taxationis gratia: hac e-
 nim taxatio operatur, ut præstationi hac conditio adjecta
 censeatur, si ex illo fundo vel reditibus tantum, quantum
 necesse est, percipi potest. *L. 8. §. 2. de Leg. 1. L. 180. Eod. L.*
5. de

§. de tritic. vino Legat. L. 95. in pr. ff. de Leg. I. & Dd. ad b. L.
in primis vero Barthol. & Jason. Tunc hujusmodi legata & relicta ad proportionem fructuum eo destinatorum redigenda, vel usus, ad quem redditus non sufficiunt, in alium usum pium pro ratione fructuum ex consensu superioris immutari posse arbitror. p. L. 4. ff. de Administ. rem. civit. & per L. 16. ff. de usū & usuf. Leg. Ita tamen, ut memoria testatoris, quantum fieri potest, conservetur. c. L. Hortled. im Reichs-Handel L. 4. c. 7. n. 10. & ea, quæ in §. antec. attulimus.

§. IX. Antequam à sacra religionis consideratione discedamus, nonnulla adhuc de conditione mutandæ religionis adjicere, opera precium duco. Sapius enim testamenta vel alias voluntates ultimas in primis in temporibus schismaticis conditas, conditione, si heres vel legatarius religionem mutaverit, vel modo, ut religionem mutaret, munitas deprehendimus. Et has adjectiones tanquam turpes considerari debere, communis est Dd. opinio. Cogeretur enim hujusmodi legatarius vel heres vel carere relictis, vel posthabito metu Numinis Divini, & neglecta pietate, conscientia, bona existimatione, & spredo bono aterno, ob spem lucri cuiusdam temporalis & terrestris religionem mutare, quod omnino contra bonos mores est. *Instrum. Pac. Svec. art. 5. §. 34.* confer. L. 8. pr. ff. de cond. *Inst. & Lauterb. Coll. Praet. ad Tit. de cona. & dem. tb. 2.* Et sic ha turpes, tanquam lege impossibile adjectiones & conditiones, pro nullis & non scriptis habentur, & quiequid sub hisce resictum validissimum manet. L. 3. L. 6. §. 4. L. 14. L. 20. ff. de Cond. & demonstrat. L. 45. ff. de bered. *Inst. §. 10. Inst. Eod. L. 12. L. 104. §. 1. de Leg. I.* Vinnius ad §. c. *Inst. n. 1. Harpprecht. ibid. n. 1.*

F

Struv.

Struv. *S. J. C. Exerc.* 10. *tb.* ii. Schilter. *Exercit.* 38. §. 100.
 Imprimis autem conferre ad nostrum casum praesentem
 juvat Phil. Knipschild. *de Fideic. Fam. nob. c. 6. a n. 391. usque*
ad n. 448. Rumelin. *ad Aur. Bull. part. 3. Diff. 6. Corall. 2.* &
 Myler. *ad e. Rumel. Jac. Alemannus. in Palestra Consult.*
Jur. Illusfr. consult. 10. Carpz. *Dec.* 89. Magnific. D. Hildebr. *in Introd. L. II. tit. 14. c. 8. §. 62.* Quod fiero in te-
 stamento quodam tantum lex quaedam adjecta deprehen-
 ditur, qua prohibet, quo minus ususfructus quidam vel
 habitatio aut alia bona in manus huic vel illi religioni ad-
 dictorum veniant, & sic certam qualitatem antecedentem
 Personæ hoc relictum habere, vel couti, frui, volentis,
 requirat; tunc nonnulli ddrum arbitrantur, hanc legem
 & adjectionem validam esse, & pro scripta haberri debere,
 Nihil enim turpis in se, uti conditio, continet, Harpprecht.
Resp. 83. n. 638. Quilibet enim Dominus rei suæ, quam in
 alterum transfert, quamcunque vult, legem dicere valet,
L. ult. C. de pact. L. 20. §. 1. de Pact. dotal. §. 40. Inst. de rer.
divis. Peregrinus de Fideic. art. 14. n. 30. Et sic scimus, te-
 statores prohibere valide posse, ne heredes bona intuito
 certa personæ alienent. *L. 14. ff. de Leg. I. & Ronulej. in*
b. I. Tr. de testatorum preceptis bona extra familiam alienari
prohibentibus passim. L. 88. §. 14. & seq. de Leg 2. & Brunnem.
n. 14. Vicen. Fusar. de Fideic. subl. qu. 711. n. 23. & qu. 606.
per integrum, Harpprecht. Resp. vol. IV. Resp. 83. n. 636.
& autor. ibi liberaliter citas. Herm. Vultej. in cons. Marpurg.
V. cons. 29. n. 38. Inde non video, quid impedit testato-
 rem, quo minus prohibeat, ne hoc vel illud de suis bonis
 in hujus vel illius religionis addictorum manus & domi-
 nium perveniat; & quid obstat, quo minus hujusmodi
 lex in testamento à testatore suis bonis & hereditati adje-
 cta

cta impleatur. Nam in quibusvis conditionibus & adiectionibus defuncti voluntas primum locum obtinet. L. 19. de Cond. & demonstr. L. 35. §. 3. ff. de hered. inst. & ea, qua in §. 3. c. 1. proposuimus.

§. X. Tertium fundamentum, Superioribus potestatem ultimas voluntates iure factas mutandi tribuens, diximus honestatem publicam. Non omnem nos indistincte accepimus honestatem, sed eatenus tantum, quatenus publicum decorum & bonos mores denotat: non enim nobis animus est, heic definire, quomodo quis honestum debeat condere testamentum, & quid testatori incumbat in declaranda sua voluntate ultima ex honestatis ethica regulis observare; sed indicare tantum constituiimus illam honestatem publicam, qua bonos mores & decorum civitatum in se comprehendent, & scandalum & turpitudini opponitur. L. 15. ff. de Cond. Inst. 197. & L. 144. de R. J. Stryck. diss. de jure liciti, sed non honesti, ob quam scilicet Superior ultimas voluntates subjectorum iure factas citra iniuriam, ad scandalum tollendum publicum, immutare potest. Ad hanc classem ante omnia omnes pertinent institutiones & legata sub conditione vel modo turpi relata, in quibus in tantum ultima voluntas testatoris mutatur, ut huiusmodi adiectionem heres vel legatarius adimplere non debeat; sed pro non adiecta habeatur, & institutio sive legatum pure factum & relicturn censeatur. L. 3. L. 6. §. 1. L. 20. ff. de cond. & demonstr. L. 9. L. 14. L. 15. ff. de cond. inst. L. 45. de hered. inst. §. 10. Inst. cod. L. 29. §. 2. ff. de test. mil. L. 2. §. 44. ff. ad SCtum Trebell. Hopp. in diss. pec. de Joco c. 4. §. 15. & Leges & autores quos in Spho praeceps. citavimus. conf. Franzk. L. 1. ref. 15. Brussel. L. 4. tit. 2. n. 7. & seq. Fusar. de subst. q. 454. n. 99. Mantica

de conject. ult. vol. L. 7. t. i. n. 18. Zœsius ad tit. de condit.
& demonstr. n. 3. Stryck. de caut. test. c. 16. §. 33. & seq. de
quibus conditionibus turpibus cum omnes Commenta-
tores ad Titulos ff. de Condit. Inst. & de Condit. & Demonstr.
& ad §. Impossibilis conditio. Inst. de hered. instituend. im-
pense satis tractent; plura adferre supervacaneum duco.
Sed ad nonnullos casus speciales indicando me accin-
gam, ubi insignis mutatio voluntatis defuncti à superio-
re liceat suscipienda dicitur. Sic potest ultima voluntas
alicujus, qui ad usum illicitum vel in honestum aliquid
legaverit, vel redditus reliquerit, adeo mutari, ut relata
in alium licitum & honestum, adhibitis primoribus civi-
tatis & heredibus, vel autoritate superioris, convertan-
tur, ita tamen, ut memorie testatoris, quantum fieri
potest, inscriptione vel alio modo conservetur. Huc
pertinent casus de spectaculo & ludis in honestis, L. 16. ff.
de usu & usufr. junc. L. 4. ff. de Administ. civit. confi. om-
nino Gothofr. in not. ad L. 14. §. 5. ff. de Relig. & sumt. fun.
Brunnem. & aut. ad L. c. 16.

§. XI. Ex nostro honestatis publicæ principio &
mutatio illarum ultimarum voluntatum, in quibus in-
epta quedam conditiones, quæ publicum decorum &
mores consuetos laedunt, defenditur. Ita ut hujusmodi
derisoria adjectiones tanquam nihil valentes secundum
mentem & mandatum testantis haud sint exequendas.
Plura harum mutationum in nostro jure dantur exem-
pla, quæ omnij allegare, referre, & explicare, instituti-
rationem, & magnitudinem schediasmatis & speciminis
cujusdam academicæ transcenderet. Quare unicum vel
alterum exemplum adducere liceat: Habemus casum
in L. 27. ff. de Cond. Inst. ubi quis sub hac conditione he-
redem

redem quendam instituit, si exequias suas in mare adje-
cerit. Hæc conditio cum sit contra honestatem atque
decorum, non est implenda, nec heres conditioni non
obtemperans, ab hereditate expellendus; sed potius,
uti Modestinus ait in c. lege, laudandus magis quam accu-
sandus est, qui reliquias testatoris, non in mare secundum
ipsius voluntatem abjecit, sed memoria humanae condi-
tionis sepulturæ tradidit. Homines enim, non uti ani-
mantes, abiici, sed sepeliri debent. Cicero I. Tusc. conf.
etiam in Lib. 3. de finibus. Laetant. II. 2. Hopp. in cit. diff.
de Joco c. 4. §. 17. Comment. ad c. L. 27. in primis vero Paul.
de Castro, qui casus cuiusdam ridiculi, & modi contra
honestatem publicam adjecti mentionem injicit. Nimi-
rum Doctorem quendam Paduanum in suo testamento
mandasse, ut corpus suum ad sepulturam duceretur cum
tubis, & ut celebrarentur nuptiæ, utque uxor indueretur
pannis rubeis, si ea hereditatem capere vellet. Quam
adjectionem, tanquam contra bonos mores & honesta-
tem, non valere, ex L. 13. §. fin. de Leg. & L. 9. 14. & 15. de
cond. insl. dijudicandum. Couf. de casu hoc ridiculo Hopp.
cit. diff. de Joco c. 4. §. 19. & seq. Ad has ineptas & contra
bonos mores defunctorum voluntates & istæ sunt refe-
rendæ, quando, ut vestes aut alia supervacua in funus
impendantur, à testatore mandatur, uti in L. 13. §. 5. de
Leg. i. item in L. 40. §. 2. ff. de Auro & Arg. leg. ubi mulier
quædam testamento suo ita cavit: *Funerari me arbitrio
viri mei volo, & inferri mibi quæcumque sepulchra mea causa
feram. ex ornamentis, lineas duas ex margaritis, & virolas
ex smaragdis.* Non autem oportet ornamenta cum cor-
poribus condi, nec quid aliud hujusmodi. L. 14. §. 5. ff.
de relig. & sumt. fun. Brunnem. ad b. l. n. ii. Mortui enim

nulla re amplius indigent, sed ueste ferali & linteis se-pulchralibus contenti sunt. Job. I. v. 12. Carpz. *Jurispr. eccl.* L. 2. d. 392. n. 15. Alexand. ab Alex. 3. *Genial.* 2. § 6. c. 4. Sueton. in Aug. c. 100. & addi adhuc potest casus L. 4. §. 6. in f. ad L. Jul. pecul. Hæ & similes adjectio-nes, tanquam ineptæ, & moribus ac decoro contrariæ, nequaquam adimplendæ sunt, cit. Legibus & L. 7. in fin. de anno legat.

§. XII. Hæ essent itaque generaliora fundamen-ta, eorumque conclusiones, quæ Superioribus indistincte & semper potestate legitimam tribuunt, ultima homi-num elogia citra ullam iniuriam mutandi. Sunt quidem præter hæ tria recensita, salutem scil. publicam, religio-nem & honestatem, alia causæ, ob quas ultimæ volunta-tes licite & iure mutari possunt. At hæ vel ad hæ tria possunt referri principia, aut sunt speciales casus in iure iamiam determinati, quorum mutandi iustitia non in causa, sed lege consistit: quippe causæ istæ, ob quas su-scipiuntur mutationes, non adeo sunt generales, ut sem-per & indistincte sufficientem præbeant ansam, licite te-stamentum mutandi: quales sunt æquitas & utilitas pri-vata, quæ læsa quidem nonnunquam in testamento mu-tationem permittunt, uti in casu L. 5. §. pl. ff. de administrat. tut. ubi tutori permittitur, ob æquitatem & utilitatem pù-pilli negligere patris præceptum, ut si pater caverit, ne quid rei sua distraheretur, vel ne mancipia distrahantur, vel ne uestis, vel ne domus, vel ne alia res periculo subie-ctæ: Summum enim damnum pupillus pateretur, si ad-iecta hæc prohibitio valeret, cum necessario hæ res, quæ servando servari non possunt, interirent. conf. L. 7. §. 1. de administr. tut. Lauterb. ad b. V. tb. 9. in fin. Sic etiam ob

ob utilitatem pupilli Dd. statuunt testatorum prohibitiō-
nem confectionis inventarii tantum ad publicam illius
consignationem ; non vero ad privatam spectare, quip-
pe quam neglecta prohibitione testatoris tutor celebrare
debet. Carpz. P. II. c. 11. def. 4. Wesemb. P. 2. cons. 68. n.
 4. Besoldus ad Jus Würt. p. 4. t. 3. §. 9. Hopp. ad Pr. Insti-
t. de fatis tui. in usū bod. Quam inventarii confectionis pro-
hibitionem quoad personas, cui legitima debetur, Jus no-
strum Noricum in totum reprobavit per Decreta de an.
 1671. d. d. 23. Januar. Die Enthebung der Inventarien
betr. & de an. 1664. d. d. 6. Martii & 6. Maii, Das Ver-
bot die Enthebung des Inventirens betr. Aliud ex-
emplum est in L. 14. §. 6. ff. de relig. & sumt. fun. ubi te-
statori ex æquitate non obtemperatur, qui ultra faculta-
tes sumptus funeris faciendo mandavit. Elegans exem-
plum recissi ob solam æquitatem testamenti refert Valer.
 Max. Exempl. memorabl. L. 7. c. 7. n. 4. At non tam uni-
versales & prægnantes æquitas & utilitas privata sunt, ue-
tanquam fundamenta mutationum proponi possint. Nullum enim sic firmum & tutum maneret testamentum ;
quippe vel unicum vix profertur ultimum voluntatis te-
stantis decretum, in quo non æquitatem laſam, vel ipsi
heredes invicem, vel legatarii, vel heredes ab intestato
in testamento exclusi, vel æqualiter non instituti, & qua-
sunt hujusmodi farinæ plura, querantur. Secundo loco
addi potest dolus metus & fraus, ob quam ultima homi-
num elogia mutari queunt. Dolus autem vel commit-
titur ab heredibus & legatariis, de quibus jam in jure no-
stro Pandect. speciali titulo prospectum, Tit. si quis aliquem
testar. prob. vel coëg. Lauterb. & comment. ad bunc titulum.
 Carpz. L. 3. c. 5. d. 9. & 16. & d. 8. Berlich. 3. concl. 7. n. 42.
 vel

vel ab ipsis testatoribus ; & tunc applicanda est lex l. §. 2.
 que in fraud. cred. sic libertas ex testamento non competit,
 cum hereditas solvendo non est. l. 5. pr. ff. qui & à quibus
 manum. Creditur enim, testatorem in fraudem credito-
 rum servos liberos jussisse, per c. l. §. 1. & L. 10. cod. Ter-
 tio cauſa mutandi ultimas voluntates sapienter est error.
 Error enim omnino excludit consensum & voluntatem.
 L. 11. §. 2. ff. de R. J. & Joh. à Sande ad b. l. L. 8. L. 9. C. de
 jur. & fact. ignor. & tunc ex verosimili testatoris voluntate
 ultima mutatur voluntas. Sic in l. 4. C. de bered. inst. au-
 ferendam filio subditu hereditatem, quem pater legitimi-
 num filium credidit, & heredem instituit, non institutu-
 rus, si alienum nosset, legimus. Cui adstipulatur L. 5. C. de
 testament. Idem casus deprehenditur in L. 3. Cod. cui ad-
 jungenda est L. 7. C. de testam. milit. L. 9. pr. & §. 1. ff. de be-
 red. inst. L. 72. §. 6. ff. de cond. & demonst. L. 1. C. de fals. caus.
 adj. Carpz. 3. Resp. 22. num. 16. Cujac. 17. obser. 21. confi.
 Lauterbach. coll. Pract. ad t. ff. de bered. inst. §. 29. Sic
 quoque vitiantur legata, si in corpore rei, vel persona
 legatarii, vel ejus nomine appellativo, erratum à testa-
 tore fuerit. L. 9. p. L. 62. §. 1. ff. de bered. inst. L. 4. pr. de
 legat. 1. L. 8. §. 3. de Leg. 2. Vinn. Part. jur. civ. L. 1. c. 51.
 Elegans exemplum olim mutata & rescissa ultimæ vo-
 luntatis ex probabili testantis mente ob errorem refert
 Valer. Max. Exemp. memor. L. 7. c. 7. n. 4. quod integrum
 addere casus elegantia & singularitas suadet : Militantis
 cuiusdam pater, cum de morte filii falso è castris nun-
 ciuum accepisset, aliis heredibus scriptis deceperit. Per-
 etis deinde stipendiis, adolescentis reversus, domum erro-
 re patris impudentiaque amicorum sibi clausam reperit.
 Quid enim illis invercundius ? florem juventæ pro re-
 publica

publica absumserat, maximos labores & plurima pericula toleraverat ; adverso corpore exceptas ostendebat cicatrices, & postulabat, ne avitos ejus Lares otiosa urbi onera possiderent. Itaque depositis armis coactus est in foro togatam ingredi militiam acerbe. Cum improbis simis enim heredibus de paternis bonis apud centum viros contendit : omnibusque non solum consiliis, sed etiam sententiis superior discessit. Similis casus est in L. 28. ff. de inoffic. testam. Alia adhuc mutatio, à superioribus vel judge ob errorem ex probabili & verosimili mente testatoris suscipienda in L. 7. ff. de ann. leg. proponitur. Vbi ICrus POMPONIVS in hac verba referabit : *nec tam
men, inquit, semper voluntas ejus aut jussum conservare debet :*
*velutisi Prætor datus sit, non expedire pupillum eo morari, ubi
pater jusserrit, propter vicium quod pater ignoravit, in iis per-
sonis esse, apud quas morari jussit.* Präsupponitur enim, si hoc vel illud testator scivisset, illum hoc nunquam injunxit, sed id, quod superior ex verosimili voluntate testantis mutavit, mandasse. conf. L. 1. C. Vbi Pupill. ead. Bald. in L. si testam. C. de testam. Convenit quoque cum dictis Exemplum L. 8. & 10. ff. de Confirm. tut. Ubi ex verosimili mente testatoris tutor testamento paterno datus, si post mortem patris apparuit diminutio facultatum tutoris dati, vel morum antea cœlata vel ignorata emeisit improbitas, aut inimicitia cum patre exarserunt, à prætore mutari debet, qui a pater alium, si posset, constitutus esse tutorem creditur ; magis enim voluntas testantium quam verba sunt attendenda. L. 4. C. de liber. prater. L. 16. C. de Fideicomm. Adde L. 3. ff. de administr. tutor. Romulej. in cit. tr. n. 224. n. 247. in fin. Plures casus harum mutationum lege in leg. 102. ff. de condit. & demonstr. L. 30.

G

C. de

C. de fideicom. L. 6. C. de Inf. & Subst. At hæc adduxisse sufficiant, ne contra nostrum propositum impingere videamur: quippe in illo tantum occupatus esse debemus, ut de potestate superiorum in mutandis ultimis voluntatibus demonstrarem, quando & ex quibus causis superiores ultima subjectorum elogia jure facta circa injuriam indistincte mutare possint. Nee de illis mutationum generibus dicere constitui, quæ ex speciali lege vel dispositione proveniunt: de quibus late & passim in Libris ff. 27. usque ad 37. tractatur. Claudam itaque rivos, DEO Optimo maximo maximas, quas mens potest concipere & lingua proferre gratias, pro suo quod mihi in hoc negocio præstitit, auxilio persolvens. Abste vero, Lector benevole, repetitis precibus enixe contendeo, velis incongrua, omissa & superflua dicta, humanæ fragilitati, à temporis velocitati, materiae prolixitat, tribuere, atque æquo ac benigno animo sufferre, referre, efferre.

SOLI D E O G L O R I A.

Damit nichts leer bleibe, hat man, so viel der Platz vergönnen will, (Tit.) denen Herren Liebabern mehrere Dispp. angeben, und darbey dienstlich melden wollen: Daß solche, wie gegenwärtige, ebenmässig zu Jena in der Hellerischen Buchdruckerey, (mit einem gedruckten Catalogo, der noch viel 1000 Stücke, von allerhand in alle Facultäten einschlagende Dispp. in sich fasset,) um billigen Preis zu haben sind, als:

de Münchhausen de Vicariatu Italico.

Müller de decrementis imperiorum.

Mühl-

Mühlfortii de investitura Prælati feudalii circa bona ecclesiastica.

Mülleri de emigratione religionis causa.

Mylii de citatione Vasalli & simultanei investiti Saxonici ejusque insinuatione.

Meyeri de Statuis & Collofis Rolandinis.

Mylii de felonie ante præstitum fidelitatis juramentum commissa.

Maseovii de Primatibus, Metropolitanis, & reliquis Episcopis ecclesiae Germanicae.

Eiusdem de regali imperialique Augustorum Germania Augistarumque coronatione.

Eiusdem de jure Imperii in Magnum Ducatum Etruriæ.

Eiusdem de legitima electione & coronatione potestissimi Poloniarum Regis Augusti III.

Eiusdem de jure foederum in S. R. Imperio.

Eiusdem de originibus officiorum aulicorum S. R. I.

Eiusdem de foederibus commerciorum, vulgo commerciis tractat.

Eiusdem de Censu Judaico.

Eiusdem de iure stapula ac nundinarum civit. Lipsiarum.

Mülleri (Petri) de conventibus circulorum in S. Rom. Imperio.

Eiusdem de concordia discordantis Germaniarum.

Eiusdem de immunitatibus prædiorum ecclesiastico-rum à munieribus.


Eiusdem de iure investiendi Status Imperii Germ. Rom.

Eiusdem de iure agnatorum : I. in genere. II. quoad ius personarum. III. Ratione juris feudalis, & quidem IV. de probatione agnationis in feudis, in tutelis & successionibus. V. de consensu agnatorum in alienatione feudi nec non delictis.

Eius-

- Eiusdem de Camera Principis.
 Eiusdem de mandatis Ducum militarium.
 Eiusd. de feudificatione in fraudem creditorum facta.
 Eiusd. de onere dotandi filias illustres patrum apanagatorum.
 Eiusdem de ædificio prædii nobilis.
 Eiusdem de ære alieno à successoribus feudi solvendo.
 Eiusdem de copiis auxiliariibus Statuum Imperii, von der Reichs-Hülffe.
 Eiusdem de iuris episcopalibus in terris Protestantium à Romano-Catholicis injuste prætensa Reviviscentia.
 Ejusdem de gynoeratia in regionibus Imperii German.
 Menckenii de residuo pretii ex feudo ob debita feudalia sub hasta vendito.
 Ejusdem de juribus civium Misniæ & Thuringiæ acquirendi feuda equestria.
 Ejusdem de eo quod iuris est circa subscriptionem librorum symbolicorum à Jure Sacrorum in primis Principum Evangelicorum dependentem.
 Ejusdem Jus fisci mero adhærens imperio proponens.
 Ejusdem de poena privationis feudi in vasallum dolo vel negligentia investitura renovationem non petentem legibus statuta.
 Ejusdem de jure protimis os domino directo in quavis feudorum alienatione sec. Jus Saxonie. competente.
 Ejusdem de iure sepulchorum familiarium atque hereditariorum eiusdemque illicita non omnibus consentientibus divisione aliave alienatione.
 Nehringii de privilegiis Pastorum.
 Neumann de redditibus Pastorum ecclesiæ.

F I N I S.




Altdorf, Diss.; 1719



f

56.





DISSE^RTAT^O IURIDICA IN AVGVRALIS
 DE
POTESTATE SVPERIORVM
 IN MVTANDIS
 VLTIMIS VOLVNTATIBVS.
171246
16.
5

GERMANICE:
 Von der Macht eines Fürsten, seiner Vorfahren, auch Unter-
 thanen, verferrigten letzten Willen ändern zu können.

QVAM
 IN INCLVTA VNIVERSITATE ALTORFINA
 D. XXIII. APRIL. ANNO MDCCXIX.
 PRO LICENTIA
 EXPOSUIT
HIERONYMVS ECKEBRECHT,
 NORIMBERGENSIS.



IENAE,
 REC. LITTERIS IO. BERNH. HELLERI,
 A. O. R. MDCCXL.

